~~[illegible]~~

Serie [illegible]

Roma


Gio. Merlo

ASSERTIONVM DIALECTICARVM

Libri ſex,

IN SEM. PATRIARCHALI Venetiarum

Publicæ diſcuſſioni propoſiti

A PETRO MOCENICO

Præſide

R. P. D. PAVLO GREGORIO De Ferrarijs

Cler. Regul. Congr. de Somaſcha

Philoſophiæ, ac Sacræ Theologiæ Profeſſore.



29

VENETIIS, M. DC. LI.

Typis Matthęi Leni.

SVPERIOR. PERMISSV.

ILLVSTRISS.
Et Excellentiſs. D. D.
HIERONYMO IVSTINIANO
EQVITI,
Et ad Maieſtatem Cæſaream
VENETO ORATORI.

VNum erat, quod precipuè animum tangeret, Illuſtriſs. atq; Excellentiſs. Eques, & Orator, quando Logicalia hæc Aſſerta, primitias quidem ſatis rudes, ſi ingenium; ſeruatos verò ex induſtria fructus, ſi genium ſpectes, Auguſtiſſimo nomini tuo deſti-

destinabam; videlicèt auocari Te à rerum summis, ad Principum Aulas pergentem sisti, & cui Cęsareus iam Ales in occursu est, literaria mora molestissimè hìc figi. Sed non difficile viam flexeris ad Lycęa, & rebus iam publicis, quibus pręes, in iucundissimo Peripato breue otium feceris, quando æqua tibi Aulę, & Musarum lex diuidit diem, & Gentilitiæ Aquilæ ministerio ęquè calamo es potens, ac fulmine. Id sanè auspicatò accidit obseruantię meæ, vt dum illustrem profectionem propediem meditaris, datum sit publico obsequio abeuntem consalutare, & præcario saltem munusculo in famulitium viarum ire, quando Iustinianę Aquilæ incitatissi-

ma

ma vis imparem prouocat ad volandum. Ibis spectante me de longinquo socialem gloriam, & qui triplici iam Legatione modò Gallica Lilia suauissimè afflasti Flos Principum; modò Hispanicam Regiam excitasti ad miracula aureę linguę; modò Hollandiam ingressus vnus ipse animorum Arbiter, ipse prima lex omnium difficillimis Populis fuisti satis, noua hinc ad Cæsarem fama delatus, facundiæ pręsentis experimento Fama ipsa iam maior mirum est, quanto fęliciore reditu fortunaturus sis in me iterum adultum obsequium. Ibis mirante Orbe vniuerso quotquot domi, forisq; Sapientia, Consilio, Dexteritate assecutus es laudatissima Vitę ornamen-

namenta, quæ vel leuiter delibata volumen implerent, nec fusiorem hic illis apparatum faceret Dialectica parca adeò verborum. Ibis demum cum Pallade ipsa, quam totus spiras, &, nisi vanus viarum comes, aut inutilis negotiorum pars liber tantillus, cum Dialectica etiam mea, habitura inde omnem plausum, quia in manibus tuis, omne tutamen, quia iuxtà Aquilam Fulminatricem. Vale.

Muriani in Seminario Patriarchali Kal. Iunijs. M. DC. LI.

Dominationi Tuæ
Illustriss. atque Excellentiss.

Addictiss. & Obsequentiss.
Petrus Mocenicus Nicolai F.

A S-

ASSERTIONVM DIALECTICARVM

Liber Primus.

DE LOGICA Secundùm se.

1 ANtiquiſſimam hanc diſſerendi artem, & D. Auguſtini teſtimonio diſciplinarum omnium diſciplinam ex communi hominum iudicio ſupponimus dari. Nam ſicuti ad corrigenda vitia ſermonis, dirigendaſque alias potentias, ne in ſuis operationibus errarent, Liberales artes, ac

Mechanicæ inuentæ sunt, ita peropportunè datus est locus Dialecticæ, vt industriam omnem cognitionis humanæ citrà omne periculum errandi seriò dirigeret. Eius initium aliquod à Natura fuit: videlicet discursus informes, & nescio quæ Syllogismorum species: quos vi inditi luminis efformare solent, vel homines rudes. Sed artificij, ac preceptorum labor Naturam perfecit; vndè illa Aristotelico organo non anteà melius disposita, frequentibus Lyceis, ac deinceps tot voluminibus laudata dignitati, vtilitatique suæ satis fidei iam fecit. Naturalem igitur, & acquisitam, seu artificialem Logicam principiò agnoscimus. Illa est naturalis vis intellectus humani ad syllogizandum. Hæc (nostri potissimum instituti) est collectio

pre-

prçceptorum ad hoc, vt mens hominum sine errore, & imperturbabiliter discurrat.

2 Non est necessaria ad comparandas cçteras scientias; Habet enim earum quælibet suas definitiones, diuisiones, & argumentationes iam factas à Sapientibus antiquis; quæ posita sufficienti terminorum explicatione nulla indigent Logica, vt, quantum satis est ad acquirendam simpliciter talem scientiã, rectè ediscantur. Idq; prçcipuè experiuntur Mathematici, quorum definitiones, diuisiones, ac demonstrationes per se clarissimæ; & euidentes absq; vlla forma, aut examine Logico explicatis solùm terminis, & descripta figura constantissimè euincunt ingenia.

3 Nec obstat, quòd sciens debeat scire se scire; quippè qui

imperturbabilis esse debet, nec dubium admittere de sua scientia: Siquidem ad sciendum simpliciter, & imperturbabiliter non est necesse, vt sciens reflexè, & in actu signato agnoscat, se scire actualiter considerãdo regulas sui sciti: sed satis est, si directè, & in actu exercito id faciat, penetrãdo actualiter ipsam entitatem obiecti, quod positis principijs cuiuslibet scientiæ, & sufficienti eorumdem explicatione satis lucis habet, vt scientificè percipiatur.

4 Verum quidem est, ad imperturbabilitatem scientis requiri, vt habeat euidentiam aliquam suæ deductionis: non tamen extrinsecam, & accidentalem, quæ consistit in dispositione medij termini, & pręmissarum iuxtà regulas Logicæ; sed sufficit, si habeat euidentiam intrin-

trinsecam, & essentialem, quæ tota sita est in claritate intrinseca, seu in connexione reali, quam habet vnum obiectum cum alio: quæ claritas, & connexio penetrari potest absq; vlla Logica in ipsis principijs particularium scientiarum, quæ eo ipso, quòd scientiæ sunt, tota claritate explicant proprium obiectum, & quidquid cum illo habet aliquam connexionem.

5 Diuidi solet communiter in Docentem, & Vtentem: quæ tamen diuisio non ponit duos habitus realiter distinctos, sed vnicum tantùm. Ratio est, quia cum habitus dentur vel ad faciliùs, vel ad simpliciter posse, pro actuali vsu præceptorũ alicuius Artis non erit ponendus distinctus habitus, nisi in duplici casu. Pimò, quando talis vsus, seu actualis applicatio preceptorũ

ſit per potentiam executiuam diſtinctam à potentia regulatiua; vt patet in Cytharedo, qui licèt peritiſſimus ſuæ artis, licèt optimas fides eligat, ſi tamen manus officio deſtinata craſſitie, aut alio impedimento laboret, difficultatem experitur in actuali pulſatione, tollendam proindè diſtincto habitu. Secundò quando, etiamſi vna, & eadem ſit potentia regulatiua, & executiua; nihilominùs in actuali exercitio noua difficultas adeſt. Ita habitus Prudentiæ dirigens hominem ad credendum, & habitus Fidei, quo is actualiter credit, licèt pertineāt ad vnam, & eamdem potentiam intellectiuam, realiter tamen inter ſe diſtinguuntur, quia poſito etiā actu clariſſimo Prudentiæ dictantis bonum eſſe credere, adhuc iuuandus eſt in-

telle-

tellectus noua facilitate in actuali exercitio actus Fidei, quæ vtpotè obscura, secum affert nouam difficultatem.

6 Verùm neutrum horum in Logica accidit. Non primum; quia per vnam, & eamdem potentiam intellectiuam suas regulas tradit, & ijsdem vtitur. Neq; secundum, quia positis regulis, & cognitione Materiæ particularis aliundè parta non est assignabilis noua difficultas intellectus in ijs applicandis: ergò non est necesse distinguere nouum habitum. Neque ex eo quòd traditio pręceptorum Logicalium sit actus specie distinctus ab eorumdem vsu, putà à syllogismo Physico, vel Metaphysico inferri potest distinctio realis duorum habituum in Logica. Indè enim potiùs arguitur, quòd sicut plures traditio-

nes præceptorum sunt actus effectiuè pendentes ab ipsa Logica, ideòque constituunt peculiarem habitum, qui dicitur Logica Docens: ita quia plures applicationes actuales eorumdem præceptorum, hoc est plures syllogismi facti in materia Physica, vel Metaphysica, sunt actus effectiuè pendentes ab ijs scientijs, in quibus fiunt: non verò à Logica, à qua tantummodò regulantur: ideò ex vi illorum non constituitur distinctus habitus Logicæ Vtentis; sed solùm particulares habitus illarum scientiarum, putà Physicæ, vel Metaphysicæ, qui vtrum dicendi sint Logica Vtentes, an verò Logica Vtens res est parui momenti.

7 Quòd si quis ex syllogismis, qui fiũt in materia Logica euincere velit distinctionem horum habituum; eo quia saltem respe-

ctu

ctu talium syllogismorum, & traditio præceptorum, & eorumdem vsus sint actus effectiuè pendentes à Logica; Dicendum est in materia Logica non distingui specie formaliter traditionem præceptorum, & eorumdem vsum propter essentialem subordinationem, quam habent ad inuicem; quatenùs in scientia formaliter practica cognitio præceptorum ex natura sua ordinatur ad vsum operis.

8 Est propriè, & in omni rigore scientia; quippè quæ inclinat intellectum ad plures, & plures cognitiones euidētissimas, quibus ex nullo capite deesse potest ratio scientifici. Procedit demonstratiuè in explicanda natura sui obiecti, illudq; considerat tamquam aliquid omninò immutabile, æternum, ac necessarium, non quidem quòad

actualem existentiam, ratione cuius modò est, modò non est: sed quoad essentiam, & prædicata intrinseca, quæ sicut ab initio nō fuerunt inuentum libertatis humanæ iuxtà illud D. Augustini 2. de Doctrin. Christ. *Precepta Logicalia non constituta fuerunt; sed solùm animaduersa ab hominibus*: ita modò non possunt aliter se habere, nec ex hominū beneplacito variè constitui, ad differentiam operis arte facti, quod ratione suæ contingentiæ tàm sæpè variatur.

9 Quod si ad arguendum, Logicam non esse scientiam, afferantur in mediū syllogismi Topicus, ac Sophisticus tamquam res certè non necessariæ; ille, quia generat opinionē; hic, quia errorem: dicendum est hos syllogismos nō esse quidem res necessarias, hoc est, necessariò veras,

ras,

ras, & scientificas: esse tamen res necessarias, hoc est, necessariò inferentes suas conclusiones, quæcumq; deindè illæ sint, siuè probabiles, siuè sophisticæ. Neq; dictum illud ex Aristotele 2. Metaph. c. 3. t. 15. *Absurdum est simul quærere scientiam, & modum sciendi*, excludit à Logica rationem sciẽtiæ. Ibi enim Philosophus nomine scientiæ non intelligit particularem rationẽ scientificam; quæ vtpotè essentialiter imbibita in modo sciendi, & cum illo realiter identificata optimè potest simul cum illo queri, & identicè comparari; sed intelligit per Antonomasiam alias scientias totales; quas benè asserit absurdum esse simul cum Logica querere, ne confundatur intellectus ex applicatione simultanea, ad tàm diuersa.

10 Habet multos actus verè,

& propriè ſpeculatiuos ſiſtẽtes in ſola contemplatione ſui Obiecti; quales ſunt; *Definitio explicat naturam rei*; *Demonſtratio generat ſcientiam:ſyllogiſmus Topicus opinionem*; *Sophiſticus errorem*: & alij plures, qui nullo modo ſunt principium, aut regula conficiendi operis,ſed puræ ſpeculationes. Dicunt hos,& ſimiles actus non eſſe ſpeculatiuos, ſed practicos, quia ordinantur ad opus ab ipſa Logica, ijs alioquin nullatenùs vſura,niſi re ipſa conferrent ad operandum. Verùm ad hoc, vt aliquis actus ſit formaliter, & ab intrinſeco practicus,non ſufficit,ſi quomodocumq; & extrinſecè ordinetur ad opus, vt patet in ſpeculatione actus viſiui; quam licèt aliquis ordinare poſſit ad eliciendum alium actum viſiuum: non proindè dicitur actus practicus;

ſed

ſed neceſſe eſt, vt talis actus ex natura ſua reſpiciat aliquā operationē, & explicitè dictet modū conficiēdi operis; cuiuſmodi certè nō ſunt ſuprapoſiti actus.

11 Dicunt etiam hos actus, ſi ſint ſpeculatiui non eſſe actus Logicæ, ſed Animaſticæ, cuius munus eſt conſiderare naturam, & proprietates noſtrorū actuū. Sed ſciant conſiderationem naturæ, ac proprietatum noſtrorū actuum æquè benè pertinere ad Logicam, & Animaſticam: ad hanc, quatenus ſunt paſſiones Animæ, actus vitales, productiui ſpecierum, ſpirituales, & cętera. Ad illam verò, quatenùs ſunt inſtrumenta, & modi ſciendi, ſub qua ratione etiam habent propriam naturam, & proprietates conſiderabiles per ſe ab ipſa Logica. Ad auctoritates Philoſophi, quæ videntur facere contra

nos,

nos, respondendum, illas procedere de Logica inadæquatè sumpta, secundùm aliquam sui partem; quo sensu verissimum est dari in Logica actus practicos; & non esse adæquatè speculatiuam. Quòd si idem Philosophus 11. Metaph. c. 1. enumerans scientias speculatiuas Logicam prætermittit, dùm ait; *Patet igitur tria genera speculatiuarum esse scientiarum; Naturalem, Mathematicam, Theologiam*: dicendum est, eam diuisionem comprehendere scientias adæquatè speculatiuas, vel eas tantùm, quæ *inter se diuiserunt omne ens extra animam*, ideòq; Logicã, quæ considerat *ens intra animã*; hoc est, actus nostri intellectus, reponendam ibi non fuisse. Ceterùm Logica plures actus admittit formaliter speculatiuos, quippè qui non sunt ex obiecto

suo

ſuo intrinſecè regulatiui alicuius operis, nec concurrunt per modum regulæ explicitè dictãtis, quomodò fieri debeat; licèt alioquin poſſint eſſe regulatiui extrinſecè,& ex effectu, ſi fiat opus ad eorum ſimilitudinem, & cum omnimoda adæquatione. Porrò hęc regulatio ſubſequens ipſum opus non arguit concurſum practicum neceſſariò afferendum antè, nec tollit ab actu hoc modo regulante rationem ſpeculatiui.

12 Habet etiam multos actus, formaliter,& ab intrinſeco practicos: quales ſunt, *Definitio conſtare debet Genere, & Differentia; Demonſtratio debet componi ex propoſitionibus veris, primis, immediatis, & cætera; medius terminus debet ita diſponi in pręmiſſis: Hoc modo fit conuerſio propoſitionum, reductio ſyllogiſmorum:* & om-

omnes aliæ regulæ Logicales, quæ ex intrinseca ordinatione sua tendunt ad opus. Neq; audiendus est Scotus in eo, quòd actibus nostri intellectus denegat rationem praxis; Nam sicuti intellectus noster dirigere potest actiones voluntatis; vt in Ethicis fusè probabimus; ita benè potest regulare actus proprios; & fieri extensione etiam practicus; non quia semper se extendere debeat ad actus aliarum potentiarum; sed quia ab vno suo actu transeat ad alium, & à pręcipuo suo fine, qui est veritas, progrediatur ad opus.

13 Nec sanè aliquid obstat, quominùs actus nostri intellectus sint intrinsecè regulábiles; non quidem quòad pręedicata radicalia, & fundamẽtalia, quatenus sunt vitales actiones, passiones animæ, spiritualia acciden-

dentia, & id genus; sed solum quòad prædicata proxima, & immediata, quatenus sunt modi sciendi, & instrumenta Logica ex natura sua ordinata ad discursum humanum; Siquidē hac ratione sunt capaces rectitudinis, & irrectitudinis saltem intellectualis; ijs applicari potest *ratio iucundi, vel molesti prosecutionis, vel fugæ* in ordine ad bonam, vel malam Definitionem, v. g. Non sequitur etiam scientias speculatiuas fore practicas: quia si *operatio* intellectus idem est, ac actus vitalis eiusdem, etiã scientiæ speculatiuæ possunt dici acquisitæ *per operationem intellectualem*. Demùm licèt intellectus sit *potentia Naturalis*, adhuc potest habere plures effectus *diuersæ rationis* ex diuersitate modi tendendi; vt patet in intellectu ædificatoris, qui habet

bet actus de modo fabricandi, & sunt practici; & actus purè contemplãtes materiam,& sunt speculatiui, ac proindè *diuersæ rationis*. His tamen non obstantibus Pater Ioannes Burlus Cõgregationis de Somascha acutissimus ex recentioribus in suis manuscriptis ingeniosissimè conatur tollere rationem practici ab omni actu Logico.

14 Et primò quidem ita discurrit. Notitia practica debet dirigere potentiam medio imperio volũtatis;propterea enim cognitio, quam habet Philosophus de Nutritione;quamquam illum mouere possit ad manducandum, non est practica; quia Nutritio sequitur ex suis causis naturalibus independenter ab hac cognitione Philosophi, & absq; vllo imperio voluntatis; sed actus Logici non dirigunt in-

tellectum medio imperio voluntatis, ergò actus Logici non sunt practici. Minor probatur, quia Imperium volũtatis requiritur tantùm ad actus obscuros, ad quos non satis determinatus sit intellectus ab euidẽtia obiecti; vt patet in Mysterijs nostræ Fidei, quib. vtpotè obscuris intellectus noster assentitur ex voluntatis imperio; sed actus Logici sunt clarissimi, euidentes, scientifici, vt patet in definitione, demonstratione, & id genus, ergò actus Logici non dirigunt intellectum medio Imperio voluntatis, & à primo ad vltimũ nõ sunt practici. Ad hoc argumentum pace tanti Viri respondemus primò, maiorẽ propositionem in tanta sua vniuersalitate esse incertissimam; nam si per impossibile Deus operaretur necessariò (vt falsò putauit Ari-

ſtoteles) adhuc ſcientia , quam haberet de creaturis , eſſet practica, illiq; deſeruiret tamquam exemplar rerum fabricandarũ: & tamẽ eo caſu impoſſibili nullum adeſſet imperium voluntatis in Deo. Exemplum Nutritionis non eſt ad rem: quia eius cognitio ex alio capite non eſt practica; nimirùm quia non repręſentat modum, quo debeat nutritio procurari; ſed ſimpliciter explicat eius naturam.

15 Nihilominùs admiſſa etiã illa maiore reſpondemus ſecundò, Imperium voluntatis requiri etiam ad actus clariſſimos, & euidentes: dummodò talis claritas, & euidentia formalis tantùm ſit; non motiua. Vbi aduertendum eſt, dupliciter poſſe dici actum euidentem, & clarum, vel propter claritatem, & euidentiam motiuam, vel propter claritа-

ritatem, & euidentiam formalem. Primo modo actus dicitur euidens, & clarus, quando non modo est clara repręsentatio sui obiecti; sed etiam antequam fiat, præsupponit suum obiectum adeò euidenter propositum, vt intellectus ad illum eliciendum omninò impellatur; ex. g. actus conclusionis in quocumq; syllogismo est actus euidens euidentia motiua, quia supponit suum obiectum adeò clarè propositum per pręmissas, vt ab earum euidentia rapiatur, & determinetur intellectus ad conclusionem deducendam. Hic actus, quia supponit intellectum omninò determinatum ab euidentia motiua, non indiget imperio voluntatis determinantis. Secundo modo actus dicitur euidens, & clarus, quando explicat suum obiectum maiori

iori claritate, quam fieri possit: vt est definitio, quæ est quidem actus clarus, quia explicat naturam sui obiecti clariùs, quã conceptus definiti: sed non habet euidentiam motiuam, quia nihil supponit antecedenter illuminans intellectum, eiq; proponens Genus, & Differentiam obiecti, tamquam partes necessarias definitionis. Ideòq; stante etiam hac claritate formali intellectus nondùm perfectè determinatus indigebit imperio voluntatis; sicut re vera indiget ad eliciendos plures actus Logicos, qui euidentia motiua carent, vt visum est in definitione.

16 Sed dicet, definitionẽ supponere ante se apprehensionem euidentem sui obiecti; ac proindè in omni actu Logico esse euidentiam motiuam. Respon-

de-

demus euidentiam illius apprehensionis esse admistam cum obscuritate notabili, ideòq; non impellere ad actum, nec dici posse motiuam: quamvis enim euidentissimè apprehendatur obiectum definiendum: adhuc tamen stat incertitudo, & obscuritas mentis de modo, quo construenda est definitio. Instabit: actus Logici sequuntur ex suis causis naturalibus: ergò non indigent regulis dictantibus modum, quo fieri debeant. Respōdemus actus Logicos secundùm aliqua sequi ex suis causis naturalibus; nō verò secundùm omnia, ex. g. quod definitio sit actus vitalis, spiritualis, & cætera id prouenit ex naturali causalitate animæ: quod sit actus verus, vel falsus, oritur ab existētia, vel non existentia naturali obiecti; at verò quod sit defini-

tio recta,& perfecta ſine vllo vitio, non ſequitur ex cauſis naturalibus talis actus, ſed ab illuſtratione Logica mediantibus regulis.

17 Secundò ita diſcurrit prædictus Auctor. Obiectum cognitionis practicæ, antequam fiat debet pręcognoſci in particulari faciendum. Ita ædificator, prius quàm ædificet, habet in animo Idęam domus, & Deus antequam creaturas producat, eas ſingulariter pręcognoſcit, ſed definitio, diuiſio, & demonſtratio, v.g., non poſſunt præcognoſci in particulari antequàm fiant; alioquin eſſent factæ antequàm fierent, quia haberent exiſtentiam in intellectu eas præcognoſcente: ſicut de facto exiſtentiam habent in intellectu, dùm actu fiunt, ergò definitio, diuiſio, ac demonſtratio nō

ſunt

sunt obiectum cognitionis practicæ, ac proindè in Logica nullus actus est formaliter practicus. Respondemus primò in sententia eorum, qui existimant essentiam definitionis saluari non posse in simplici apprehensione, sed necessariò debere esse orationem prędicantem vnum de alio, & explicantem *quid sit res*, argumento nihil probari; nã antequam intellectus definiat v.g., debet quidẽ pręcognoscere vtrumq; gradum ponendum in definitione; at hæc pręcognitio, vtpotè simplex apprehensio, non habet rationem definitionis claræ, & explicitæ; & per consequens definitio non est in intellectu, antequàm fiat. Verùm quia à nonnullis cũ P. Arriaga constituitur tota essentia definitionis etiã in simplici apprehensione Generis, & Diffe-

rentiæ : ideò pro quacumq; sententia.

18 Respõdemus 2. obiectum cognitionis practicæ debere præcognosci antequàm fiat in particulari faciendum, vel quòad substantiam, vel quòad modum; non verò semper quòad substantiam; vt patet ex ea regula Poëtica, *Carmen exametrum constare debet sex pedibus*, quæ certè practica est, & tamen nullum carmen in indiuiduo repręsentat: alioquin non esset necessarius tantus labor in constructione carminis, si antè oculos haberetur simul cum sua regula carmen ipsum pangendum; Idem dicendum de Definitione Hominis v.g., quæ antequàm fiat, pręcognosci nõ debet quòad suam substantiam, alioquin esset facta, antequàm fieret, vt benè probat argumentum: sed so-

solùm quòad modum, quo fieri debet; ex. g. *Ad hoc, vt fiat definitio Hominis debet assumi Genus, & Differentia tantùm ipsius Hominis, reiectis alijs conceptibus.*

19 Sed dicet: intellectus motus ea regula ad retinēdum Genus, & Differentiam tantùm, vel ipsum Genus, & ipsam Differentiam in indiuiduo pręcognoscit, vel non. Si primum ergò iam in mente habet hoc particulare Genus, & hanc particularem Differentiam, ac proindè integram Definitionem, antequàm illam faciat: si secundum, ergò ex vi illius regulæ mouetur duntaxat intellectus ad tentandos cęco modo plures cōceptus, donec naturaliter, & casu incidat in conceptum Generis, & Differentiæ, quod poterat etiam cōtingere independenter ab ea regula, quæ proindè est omninò

rentiæ: ideò pro quacumq; sententia.

18 Respõdemus 2. obiectum cognitionis practicæ debere præcognosci antequàm fiat in particulari faciendum, vel quòad substantiam, vel quòad modum; non verò semper quòad substantiam; vt patet ex ea regula Poëtica, *Carmen exametrum constare debet sex pedibus*, quæ certè practica est, & tamen nullum carmen in indiuiduo repręsentat: alioquin non esset necessarius tantus labor in constructione carminis, si antè oculos haberetur simul cum sua regula carmen ipsum pangendum. Idem dicendum de Definitione Hominis v.g., quæ antequàm fiat, pręcognosci nõ debet quòad suam substantiam, alioquin esset facta, antequàm fieret, vt benè probat argumentum: sed

so-

solùm quòad modum, quo fieri debet; ex. g. *Ad hoc, vt fiat definitio Hominis debet assumi Genus, & Differentia tantùm ipsius Hominis, reiectis alijs conceptibus.*

19 Sed dicet: intellectus motus ea regula ad retinēdum Genus, & Differentiam tantùm, vel ipsum Genus, & ipsam Differentiam in indiuiduo pręcognoscit, vel non. Si primum ergò iam in mente habet hoc particulare Genus, & hanc particularem Differentiam, ac proindè integram Definitionem, antequàm illam faciat: si secundum, ergò ex vi illius regulæ mouetur duntaxat intellectus ad tentandos cęco modo plures cōceptus, donec naturaliter, & casu incidat in conceptum Generis, & Differentiæ, quod poterat etiam cōtingere independenter ab ea regula, quæ proindè est omninò

inutilis, & quia per se non influit in opus nullo modo dicenda est formaliter practica. Respondemus intellectum ex vi illius regulæ non præcognoscere Genus, & Differentiam in indiuiduo; sed solùm moueri, & dirigi ad eos conceptus inuestigandos, non quidem cęco modo, & casuali: sed maximè per se, & infallibili ductu: idq; probat vtilitatem maximam, ac necessitatē illius regulæ; qua destitutus intellectus, esto, independenter ab illa casu incidere posset in conceptum Generis, & Differentiæ, nihilominùs vel eos haberet admistos alijs conceptibus, vel si incideret in eos tantùm, nullam haberet infallibilitatem, quod ij retinendi sint, ac proindè eos posset reijcere, & numquam ex arte definire: Quod si intellectus instructus sit ea regula; *Ad*

de-

definiendũ Hominẽ v.g., ex plurib. conceptibus, qui de illo formari possunt, retineri debet solum genus, & differentia, reiectis omnibus alijs: statim ille ex vi huius regulæ, quæ partìm positiua est, partìm remotiua applicatur ad formãdos plures conceptus de homine, v.g. quod sit Substantia, Viuens, Animal, Rationalis, Bipes, Mortalis, &c. Ideòq; cum aliundè sciat, quid sit Genus, quid Differentia facile sistit se in cõceptibus, quibus conuenire videt definitionem Generis, & Differentiæ, & remouendo alios inutiles, prudentissimè definit, non cęco modo.

20 Instabit: inter illos plures conceptus erant etiam conceptus Generis, & Differentiæ, ergò erat definitio facta, antequàm fieret. Respondemus conceptus Generis, & Differentiæ intermi-

ſtos alijs conceptibus eſſe definitionem confuſam, obſcuram, & omninò vitioſam, non verò Definitionem bonam, claram, diſtinctam, qualis deindè fit ex vi regulæ. Hanc autem, eſto, illa pręcedat ſicut Embrio perfectā de organizationem corporis, ex hoc nihil ſequitur intra nos.

21 Infertur ex his, Logicam eſſe aggregatum ex duplici partiali habitu; practico nempè, & ſpeculatiuo; ſicut re vera exit in conſimiles actus. Neq; indè ſequitur nobiliorem eſſe cæteris ſcientijs, aut practicis tantùm (ſi ſint) aut tantùm ſpeculatiuis, quæ de facto dantur, nobiliorē inquam, nobilitate eſſentiali, intrinſeca, & ſimpliciter, quæ deſumitur ex dignitate obiecti formalis: ſed ſolùm nobilitate quadam extrinſeca, accidentali, & ſecundùm quid ratione ſuæ

Vni-

Vniuersalitatis. Quando autem aliqui dicunt, posse intellectum inclinari ad actus practicos, & speculatiuos vnico tantùm habitu continente in se eminenter vtramq; rationem; sicut possunt diuersi effectus produci ab vnica causa, quæ eminenter in se contineat eorum virtutes; vt patet in Sole, Anima nostra, & Deo; apertissimè respõdendum est talem habitum esse imposſibilem: quia cum habitus generetur ab actibus, habitus inclinans ad actus formaliter diuersos non potest supponi productus, nisi ab actibus formalitèr diuersis sub ratione formali diuersa: implicat autem à diuersis causis, quatenùs diuersæ sunt eundem numero effectum produci. Porrò hæc implicantia non sequitur ex eo, quòd vna causa producat diuersos effe-

ctus,quia cauſa non ſupponitur producta ab effectibus ſimilibus ijs,quos producit, ſicut habitus ſupponitur produci ab actibus ſimilibus ijs, ad quos inclinat: ſed vel producitur ab alia cauſa, vel ſi à pluribus, non procedit ab ijs,quatenùs diuerſę ſunt. ſed quatenùs conueniunt in aliquo vno.

22 Verùm licèt Logica ſit aggregatum ex eo duplici habitu, ſimpliciter tamen, & abſolutè dicenda eſt ſcientia practica: quia eumdemmet habitum ſpeculatiuum per ſe ordinat ad habitum practicum. Nempè ex fine ſuo intrinſeco reſpicit opus, & ſiquid ſpeculatur, id non facit ex principali intento,fine, & obiecto ſuo,ſed quia alio modo perficere nequit directionē operis,quod principaliter intendit. Id,quod egregiè innuit Philoſo-

losophus 2.Metaph.c.1. t.3. vbi ait: *Speculatiuæ finis veritas; practicæ autem opus:etenim si quomodò se habent considerant, non causam per se, sed ad aliquid, & eo in tempore practici speculantur*. Et suaderi etiam potest exemplo Picturæ, quæ admittit plures actus formaliter speculatiuos; quippè qui explicitè non tradũt regulas colorandæ tabulæ; sed ex natura sua habent considerare naturas colorum: penicilli, ac telarum aptitudinem, & huiusmodi: & tamen dicitur simpliciter practica, nec eam quisquam hactenùs appellauit partim practicam, partim speculatiuam. Eodem prorsùs modo Dialectica, quamquam nihil aliud sit, nisi aggregatum ex suis habitibus, quia tamen nec ab his, neque ab actibus suam vnitatem habet, ideò illam de-

ſumit à fine intrinſeco, quod eſt opus; & ratione huius dicitur vna ſcientia ſimpliciter practica. Quod autem ordinet potiùs habitum ſpeculatiuum ad habitum practicum, quam è contra, hæc eſt maior ratio, quia habitus practicus nihil per ſe conducit ad ſpeculandũ; ad hoc enim, vt quis ſimpliciter ſpeculetur obiectum, quid quęsò conferunt regulæ de eo conficiendo? E contrà verò ſpeculatio rerum nonnihil cõducit ad confectionem earumdem, & fortè neceſſaria eſt, ad hoc, vt cognita natura operis, rectiùs indè fiat.

23 Voces non ſunt obiectum Logicæ; quamvis ita dicatur à nomine, *Logos*, quod *ſermonem* importat: principaliter enim, & primariò conſiderat ſermonem internum, de externo in tantum ſollicita, in quantum eſt ſignum

lo-

locutionis internæ; Simili modo, quo Architectus habens pro obiecto domum, considerat secundariò tantùm, & per accidẽs ligneum exemplar eiusdem; lusor pro nũmis attentissimè enumerat lapillos, vel fabas: & ipse Aristoteles frequentissimè vtitur literis Alphabeticis loco rerum, vel Propositionum, de quibus principaliter intendit dare præcepta. Verum quidèm est, omnia, quæ traduntur in Logica definiri per voces; dicitur .n. syllogismus est Oratio, Definitio est oratio, & similia: imò in his Definitionib. voces ipsæ ponuntur in recto, ac si primariò, & principaliter considerarẽtur: Nihilominùs etiam hoc stante rationem obiecti proprij, ac primarij numquam attingunt: quia in Definitionibus Logicis non ponuntur in recto ipsæ voces, vt

ſic reduplicatiuè, & nudè ſumptæ: ſed provt ſtant pro operationibus Intellectus, quarũ ſunt ſigna: ideòq; cum dicitur ſyllogiſmus eſt oratio faciens ſcire, id non verificatur de voce, niſi fortè ſecundariò, & per accidens in ordine ad intentionem Logicam, eiuſque intrinſecum finem.

24 Similiter res omnes non ſunt obiectum Logicæ: quia cũ ſit ſciẽtia abſolutè practica debet illi aſsignari pro obiecto aliquid per ſe operabile, & capax Dialectici artificij, cuius etiam principia, definitionem, ac ſpecies principaliter edoceat: At res omnes ſecundùm ſe conſideratæ non ſunt huiuſmodi, neque enim cum ſit ſyllogiſmus de Equo, Cane, Boue, & ſimilibus, ipſum Equum, Canem, aut Bouem ſecundùm ſe intendit dirigere,

gere,& cōformare in opus; alioquin esset potiùs Prȩfecta stabuli, quam scientia directiua operationum mentalium, quarũ proindè Definitiones, Principia, & species per se solùm edocet, de principijs, Definitionibus,ac speciebus Canis v.g.Leonis, aut Bouis nihil sollicita; ergò res omnes nō sunt eius obiectum. Dicunt res omnes saltem provt substant secundis intentionibus Logicis definiti,diuisi, generis, & huiusmodi poterunt assignari pro obiecto Logicæ. Respondemus negatiuè, quia res omnes etiam, vt sic considerate, seu quatenùs definitæ, diuisæ, &c. sunt quædam complexa, non secundùm omnia, quæ includunt, sed inadæquatè tantùm considerabilia à Logica, quæ in illis per se respicit artificia præcisè definiendi,diuidendi,

di, &c. quod verò talia artificia cadant supra has, vel illas materias per se nō curat; ideò res definitæ, diuisæ, &c. etiam reduplicatiuè, vt tales, quia substant definitionibus, ac diuisionibus particularium scientiarum, ad illas spectare debent per se, non ad Logicam, quæ solam artem definiendi in communi in illis considerat.

25 Similiter dùm considerat Genus, Species, & alias secundas intentiones, non est imaginandum quod illa proximè, & per se curet de rebus ipsis, seu naturis, quæ abstrahuntur: sed solùm de actibus nostri intellectus, quibus formaliter fit talis abstractio. Aliud enim est dicere, quod res ipsæ sint obiecta Logicorum actuum, ad quæ necessariò Logicus debet respicere in cōstructione suorum operum

rum, eo modo, quo pictor necessariò debet respicere ad Cæsarē viuum, eiusq; lineamenta, vt rectè illum pingat; Aliud verò, quod res ipsæ sint principale intentum, & spectent ad finem intrinsecum ipsius Logicæ. Primū absq; vllo periculo concedi potest: secundum constantissimè negandum est; quia sicuti Cęsar viuus, eiusq; lineamenta nō sunt obiectum Pictoris, licèt illa attentissimè consideret in actu pingendi: ita licet omnis syllogismus constet ex rebus nō quidem tamquam ex partibus intrinsecè componentibus, sed solùm tamquam ex partibus per eosdem expressis: eo modo, quo Virgilij opera, & Statiana Thebais constant tot bellis, & euersionibus, quia tamen non res ipsas, sed modum rectè eas exprimendi per conceptus formales

Logica primariò curat, ideò dici non possunt eius obiectum.

26 Eodem modo excludendum est ab obiecto Logicæ omne ens rationis. In primis, quia hoc ens rationis adęquatè distinctum ab actibus Logicis nō tam facilè admittimus. Ratio enim definiti, v.g. pręter rem ipsam, quę definitur, & actum realem definientis nullam includit relationem rationis definiti ad definitionem, alioquin etiã ratio cogniti, visi, amati, odorati, & huiusmodi includerẽt talem fictionem, cùm nihil plus obiectiuè reperiatur in esse definito, quàm in his omnibus, & eodem prorsùs modo res definita respiciat definitionem, ac res cognita cognitionem, res amata amorem, &c. vndè sequeretur, quòd Deus etiam eam relationem fingeret in omni ente

rea-

reali, vtpotè respiciēte Diuinam cognitionem, à qua constituitur in esse cognito: iustus amaretur à Deo medio aliquo figmento, & flos odoraretur ex vi alicuius fictionis, quæ certè sunt valdè ridicula.

27 Prçterquamquod istud ens rationis vel resultat ex eo quòd iam res sit definita, vel antequā sit definita. Si primū ergò prius res est definita, quàm resultet hæc relatio; proindè rem esse definitam non includit hanc relationem: Si secundum ergò res est definita antè definitionem: quia antè definitionem habet relationem rationis, quæ est forma faciens rem definitam; ideò, &c. Demùm si omnia opera Logica includerent hoc ens rationis, redderentur falsa plurima eius principia; nam cum dicit, v.g. *Definitio, & definitum inter se iden-*

identificantur, fieret sensus, quod relatio rationis essentialiter inclusa in Definitione identificaretur cum definito, quod est falsissimum. Respondent, Logicam ibi nō loqui de definito formaliter, vt definitum est; sed materialiter sumēdo illud pro re, cui adiacet relatio definiti: qua ratione verissimum est, definitionem identificari cum re definita. Sed contra: ergò numquam Logica agit de hac relatione. Patet consequentia quia, quamcumq; cognitionem afferat Logica de definito, eam explicabimus de definito materialiter sumpto, imò necessario ita explicāda erit; vndè inferimus rem prorsùs ridiculam; Logicā nempè agere de hoc ente rationis, & tamen in nullo suo actu de eo loqui, vt consideranti patebit.

28 Dicunt: non potest intelli-

gi definitum sine ordine quodam ad definitionem, sed hic ordo non est realis, ergò rationis, ergò opera Logica includũt essentialitèr Ens rationis. Pro responsione aduertendum inter cognitiones, alias esse absolutas, quæ tendunt in suum obiectum modo absoluto ab omni ordine, vt quę dicit Petrum existere, Paulum produci, &c. quæ respiciunt Paulum tantùm absolutè, & sine ordine ad aliud; alias esse comparatiuas, quæ conferunt suum obiectum cũ aliquo alio; vt quæ dicit Deus est Creator rerum, quæ nõ cognoscit Deum absolutè; sed in comparatione ad creaturas; hoc est, formaliter comparat Deum cum creaturis. Quando ergò intellectus concipit rem esse definitam; non cognoscit illam conceptu absoluto; quia non sistit in ipsa re definita,

nita, sed eam concipit conceptu comparatiuo, qui eam comparat cum definitione; & ratio à priori est, quia cum intellectus in re ipsa nihil inueniat, quod faciat illi scire, rem esse definitam, debet recurrere ad id, per quod est definita. Porrò est definita per definitionẽ formalem, quæ sola eam realiter definit: ideò debet cognoscere rem comparatiuè ad definitionem formalem. Quare ad argumentum dicimus; non posse quidem intelligi rem esse definitam sine ordine formali ad definitionem: posse tamen intelligi sine ordine obiectiuo: quod ita explicamus. Res definita absolutè considerata in se nullum habet ordinem ad definitionem; proindè sic considerata non potest cognosci vt definita. Quando ergò intellectus

eam

eam, vt definitam cognoscit, comparat cum Definitione, vi cuius comparationis formalitèr refert rem definitã ordine quodam ad definitionem: nõ obiectiuo, sed formali. Porrò hic ordo formalis est ipsa cognitio, quæ formaliter comparans rem definitam cum definitione ex suo modo cognoscendi refert illam ad definitionem.

29 Vrgent: non potest cognosci res, vt definita, nisi comparatiuè ad definitionem: ergò includit aliquid, ratione cuius cõparari debet cum definitione, ergò includit aliquam relationem rationis, quæ sola petit comparari. Respondemus negando primam consequentiam: necessitas enim cognitionis cõparatiuæ non nascitur ex aliquo ordine obiectiuo, quod habeat res definita ad definitionem, sed

ex defectu cognoscibilitatis propriæ; quia res non potest esse medium sufficiens ad faciendũ, vt intellectus sciat, se esse definitam: cum nihil habet in se acquisitum à definitione; ex quo est, quod intellectus, vt cognoscat eam esse definitam, debet recurrere ad definitionem, per quam formaliter fit definita: & sic debet eam cognoscere cognitione comparatiua ad definitionem. Sicuti, Sanctos esse prędestinatos, nõ potest cognosci, nisi in ordine ad prædestinationem Diuinam, non quia esse prædestinatum sit aliquod Ens rationis, referens prędestinatum ad prædestinationem: sed quia intellectus non inuenit in prædestinato sufficiens fundamentum cognoscendi eum esse prædestinatum, nisi recurrat ad Prędestinationem, per quam for-

ma-

maliter fit prædestinatus. Multa alia exempla occurrunt in esse amato, esse viso, esse cognito, &c.quæ non possunt concipi, nisi in ordine ad amorem, visionem, &c. neq; tamen includunt ens rationis factum ab amore, & visione.

30 Instant: res est intrinsecè definita; sed nihil reale intrinsecum acquirit per definitionem, ergò acquirit aliquam relationem rationis intrinsecam. Retorquemus primò argumētum; res est realiter definita, ergò acquirit aliquam formam realem, per quam fit definita: Deindè respondemus, rem esse intrinsecè definitam, hoc est, esse partē intrinsecā denominationis definiti, non verò esse intrinsecè definitam, hoc est, habere intrinsecè formam, à qua reddatur definita intrinsecè. Quemadmodùm

dùm etiam res eſt realiter intrinſecè cognita, amata, &c. & tamen non habet formam realem intrinſecam cognitionis, amoris, &c.

31 Inſtant etiam: obiectum definitionis dicit relationem ad definitionem, at res definita eſt intrinſecè obiectum definitionis, ergò res definita includi t intrinſecè relationem rationis. Reſpondemus obiectum definitionis non dicere relationem obiectiuam ad definitionem, ſed tantùm formalem, quatenùs nō poteſt cognoſci eſſe obiectum definitionis, niſi notitia comparatiua, quæ eſt eſſentialiter relatiua: conferendo enim vnum cū alio cognoſcit vnum in ordine ad aliud formaliter. Quare obiectum definitionis cognitum, vt obiectum definitionis includit relationem formalem ad defini-

nitionem : quia includit cognitionem comparatiuam, qua refertur ad definitionem, ideò, &c.

32 Sed etiam si vltrò admittamus hoc ens rationis, adhuc nullo modo assignari potest pro obiecto logicę; tum quia per accidens omninò ab illa consideratur, & pręter intentionem eius intermiscet sese operationib. mētalib.: eo modo, quo per accidens, & præter intentionem peccantis adnascitur malitia moralis furto delectationi illicitæ, alijsve actibus per se volitis: tum quia nihil vtilitatis confert ad constructionem mentalium operum, cum ipsa non antecedat, sed potiùs per resultantiam suam subsequatur; tum deniq; quia quælibet sciētia debet explicare, naturā, principia, passiones, & partes sui obiecti.

De ente rationis autem in Aristotelis Logica nihil agitur; non definitur, nõ demonstratur eius quidditas, & natura, non assignantur principia, & partes eius: ideò, &c.

33 Quod si plures eiusdem auctoritates pro sententia opposita afferantur, vel intelligendæ sunt de cõsideratione secundaria, & per accidens; vel de ente rationis, prout significat ens intellectus, qui etiam dicitur Ratio, sicut & Logica rationalis: Idem dicimus ad testimonia Sanctissimi Doctoris Angelici, cuius aurea verba, quamquam luce sua eximiè nitida, ac Diuinæ propemodùm illustrationis à nobis ceteroqui addictissimis inter disputandum explicabuntur. Ait ille inter alia: quæcumq; considerat Logica non esse in rebus; Esto: ergò considerantur

in Logica sola Entia Rationis? nequaquam. ly *in rebus*: sæpissimè sumit S. Doctor pro *extrà Intellectum*, quo sensu actus omnes intelligendi reales licèt, & Physici possunt dici non esse *in rebus*: quia non sunt *extra mentem*: De his ergò Logica per se agit; non de Ente Rationis.

34 Sed obijciunt. Illud est obiectum formale Logicæ, sub quo Logica considerat omnia, de quibus agit; ita enim etiam obiectum formale Physicæ est illa ratio, sub qua Physica considerat corpus naturale: sed Logica considerat omnia, etiã modum sciendi, sub ratione Entis rationis, ergò ens rationis est obiectum formale Logicę. Probatur Minor, quia Logica considerat definitionem, vt stat sub Genere, & Differentia; sed genus, ac differentia sunt secundæ

intentiones obiectiuæ, ac proindè includunt etiam entia rationis Logica, ergò considerat definitionem, vt stat sub ente rationis. Respondemus distinguẽdo Maiorem: illud est obiectum formale Logicæ, sub quo Logica considerat omnia tamquam sub forma per se intenta, concedimus, tamquam sub forma accidentalitèr, & preter intentionem Logicæ sese obijciente, negamus. Porrò forma, quam per se intendit ponere Logica non est istud Ens rationis: sed bona Definitio, Diuisio, & Demonstratio: ac proindè non ens rationis, sed hæc sunt obiectũ formale Logicæ: quod enim ens rationis sequatur ex definitione, vel non sequatur, de hoc parum curat Logica. Quemadmodùm Faber Ferrarius per se intendit diuersas figuras Ferri; sed

non

non rubiginem, quam ferrum induit, statim ac figuratum est; quia illa videt rodi sua opera præter intentionem suam. Pari ratione Logicus per se intendit facere Definitionem; at quod ex illa necessariò sequatur Ens rationis, id parum curat: nam si sequitur, necessariò sequitur, & præter intentionem ipsius; quia aliàs inutile est ad construendã definitionem, cum ex ipsa iam constructa sequatur.

35 Instant: Logica considerat rationem generis, Prædicati, subiecti, &c. sed hæc conceditis includere ens rationis: ergò Logica considerat ens rationis. Respondemus distinguẽdo Maiorem; Logica considerat rationem generis, prædicati, &c. secũdum quod sunt vtiles ad formandos modos sciendi, concedimus, secundùm quod sunt inu-

tiles negamus. Porrò in definitione Generis includuntur tria; conceptus formalis, obiectũ illius, & relatio rationis in sententia Thomistarum. Inter hæc relatio rationis est inutilis, quia non magis facit scire definire, obiectum definitionis, quàm si non esset tale ens rationis; ideò Logica non considerat per se vllo modo ens rationis; sed de eo parum curat.

36 Exemplo sit ipsa Physica, quæ dicitur considerare corpus naturale, vt naturale, inter corpus autem naturale, & vt naturale adest aliqua distinctio rationis; & tamen Physica non dicitur habere pro obiecto formali hanc distinctionem rationis. Et ratio vnica est: quia ad hoc vt Physica assequatur suum intentũ, non est vtile scire hanc distinctionem rationis; sed tan-

tùm

tùm penetrare rationem ipsam naturalitatis; quæ proindè sola ponitur pro obiecto formali illius. Eodem modo Logica considerat Prædicatum, vt Prędicatum, quod includit relationem rationis ad subiectum; sed illam non considerat Logica. Ratio à priori est, quia parum confert ad intentionem Logicę assequēdam illa relatio; nam Logicus intendit facere bonam definitionē, & syllogismum, ad quod faciendum scientia illius relationis est inutilis; nam æquè benè definiemus sine illa scientia, dummodò vtamur cōceptu Generis, & differentiæ.

37 Instant secundò: scire distinctionē, relationes, vnitates, & cōparationes rationis est expetibile, & pertinet ad aliquam scientiam, non nisi ad Logicam, ergò Logica habet pro obiecto

tiles negamus. Porrò in definitione Generis includuntur tria; conceptus formalis, obiectū illius, & relatio rationis in sententia Thomistarum. Inter hæc relatio rationis est inutilis, quia non magis facit scire definire obiectum definitionis, quàm si non esset tale ens rationis; ideò Logica non considerat per se vllo modo ens rationis; sed de eo parum curat.

36 Exemplo sit ipsa Physica, quæ dicitur considerare corpus naturale, vt naturale, inter corpus autem naturale, & vt naturale adest aliqua distinctio rationis; & tamen Physica non dicitur habere pro obiecto formali hanc distinctionem rationis. Et ratio vnica est: quia ad hoc vt Physica assequatur suum intentū, non est vtile scire hanc distinctionem rationis; sed tan-

tùm penetrare rationem ipsam naturalitatis; quæ proindè sola ponitur pro obiecto formali illius. Eodem modo Logica considerat Prædicatum, vt Prędicatum, quod includit relationem rationis ad subiectum; sed illam non considerat Logica. Ratio à priori est, quia parum confert ad intentionem Logicę assequẽdam illa relatio; nam Logicus intendit facere bonam definitionẽ, & syllogismum, ad quod faciendum scientia illius relationis est inutilis; nam æquè benè definiemus sine illa scientia, dummodò vtamur cõceptu Generis, & differentiæ.

37 Instant secundò: scire distinctionẽ, relationes, vnitates, & cõparationes rationis est expetibile, & pertinet ad aliquam scientiam, non nisi ad Logicam, ergò Logica habet pro obiecto

hoc ens rationis Logicum. Respondemus primò hæc omnia pertinere ad Metaphysicã; quia ipsius officium est considerare vnitatem, & distinctionem, & relationem realem; proindè etiã debet cõsiderare oppositas illis vnitates rationis. Respondemus secũdò: etiamsi Logica hæc omnia consideraret; proindè non essent eius obiectum, quia non consideraret illa primariò, & per se: sed in ordine ad aliud; vt diximus.

38 Instant vltimò: subiectum Logicè sumptum, non est Prędicatum; sed realiter subiectum est Prædicatum, ergò Logica nõ considerat prędicatum, & subiectum realiter, ergò secundùm quod habent distinctionem rationis. Hoc argumentum est cauillosum; sed contra nos nihil facit. Ratio à priori est, quia

cum

cum Logica consideret prędicatum obiectiuum ex vi prædicati formalis, & subiectum obiectiuum ex vi subiecti formalis: prædicatum autem formale, & subiectum formale non sint idē; sed distincta realiter; sequitur, quòd prædicatum obiectiuum, & subiectum obiectiuum in consideratione Logica includit prędicatum formale, quod non includit aliud; ideò prędicatum, & subiectum in consideratione Logica non sunt idem; sicut animal, & rationale sunt indiuisibiliter ex parte obiecti; & tamen vnum non est aliud in sua consideratione; cognitio enim animalis non est cognitio rationalis; cognitio enim animalis cognoscit idem in ordine ad solas sensationes; quod cognoscit cognitio rationalis in ordine ad solos discursus. Hinc est, quòd

Logica tradit suas definitiones de ipsis, scilicèt de prędicato, & subiecto,& in nullo ipsorum facit mentionem de relatione rationis.

39 Quod si quærant, an ens rationis sit obiectum Logicæ saltem terminatiuum. Respondendum affirmatiuè; quia cum ens rationis possit definiri, diuidi, & demonstrari, sicut aliæ res reales, erit obiectum terminatiuum eo modo, quo sunt alię res; In hoc autem minus consequẽter loquitur Arriaga, qui ponens pro obiecto Materiali Logicæ omnia definibilia excludit ens rationis, quod ipse non modò facit definibile; sed actu definit.

40 Proprium igitur, & adæquatũ obiectum Logicæ est syllogismus, cuius mirabile artificium per se primò considerat,&

in

in ordine ad id cętera omnia,de quib. agit,mirè disponit. Comprehendit sub se æquè primò tamquam species obiecti Demonstratiuum, Topicum, & Sophisticum, quippè qui licet in materia differant: in forma tamen, quæ in Logica principaliter attenditur,& secundùm quã dici possunt æqualiter perfecti omninò conueniunt. Ad hos quæcumq; Logica tradit, siue termini sint,siue definitio, diuisio, propositiones, & alia ex intentione propria ordinãtur; ipsi verò in se vltimatè sistunt, & sunt finis intrinsecus omnium præceptorum Logicalium. Quare falsum est id,quod multi supponunt, videlicèt intellectum nostrum sola demonstratione satiari, & in ea tantùm vltimò conquiescere; Siquidem non aliundè illi oritur satietas, &

quies, nisi ex mirabili opere formæ syllogisticæ, quæ cum æqualis sit in omnib. syllogismis, quocumque ex illis obtento perfectissimè conquiescit. Simili modo, quo aurifex habet pro vltimo fine suo tribuere formam artificialem Vasis, vel statuis; quod autem illam tribuat materiæ argenteæ, quando aurea vel non suppetit, vel non est necessaria, non facit quin verè confecto vase consecutus sit suum vltimum finem.

41. Dicunt intellectum nō satiari, & quiescere in syllogismis Topico, & Sophistico; quia non sunt modi sciendi. Sed contra. Duplex est modus sciendi. Primus dicitur modus sciendi ex effectu, qui nempè ex vi dispositionis præmissarum certò, & infallibiliter generat scientiā, hoc est, actum formaliter scientificum.

cum. Secundus dicitur modus sciendi simpliciter, & præcisè quòad modum procedẽdi, quatenùs ex vi dispositionis præmissarum gignitur actus nõ quidem necessariò scientificus; sed quicumq; ille sit ita gignitur; vt ex vi talis dispositionis ex necessitate sequatur, & non potuerit non sequi. Modus sciendi primo modo sumptus conuenit quidem soli demonstrationi; at per se proximè, & formaliter nõ consideratur à Logica, quippè qui vt sic formaliter pendet per se à materia. Secundo verò modo sumptus communis est omnibus syllogismis Demonstratiuo, Topico, & Sophistico; & quia acquiritur ex vi formæ per se proximè spectat ad Logicam.

42 Instant: saltem syllogismus Sophisticus excludendus est ab obiecto Logicæ; quia si semel

in-

includat vocẽ æquiuocam iam constabit quatuor terminis, & peccabit ex parte formæ. Respondemus syllogismum Sophisticum peccantem ex parte formæ non spectare ad obiectum Logicæ, quia simpliciter, & absolutè non est syllogismus: Non tamen omne sophisma esse huiusmodi, præsertim verò, quod includit vocem æquiuocam, licèt enim possit dici constare quatuor terminis materialiter, & ex parte rerum, quæ assumũtur; quia vt sic vox ęquiuoca habet rationem duplicis termini; formaliter tamen, & ex vi connexionis eiusdem vocis ęquiuocæ cum alio termino, verificari id non potest; quia vt sic vox æquiuoca cum suo duplici sensu sumitur per modum vnius, & vnitur alteri, vt quid formaliter simplex. Cęterùm si duplex sen-

sus vocabuli vitium faceret in forma syllogistica, nullus ferè daretur syllogismus bonus, quia omnis ferè vox in multiplici sensu accipi potest, & de facto id accidit in terminis distributis, non distributis, restrictis, ampliatis, &c.

43 Ex his infertur obiectum formale Logicę esse formam syllogisticam, seu dispositionem medij termini cum extremis ad aliquid concludendum: per hāc enim syllogismus essentialiter constituitur in ratione operis à Logica principaliter intenti, & distinguitur non modò ab obiectis aliarum scientiarum: sed etiam à se ipso, quatenùs sub alia ratione formali potest considerari à Physica, & cæteris scientijs. Infertur etiam obiectũ materiale proximum Logicę esse ipsas Propositiones: quia ex ipsis

ipſis tali, vel tali modò diſpoſitis vltimò conficit ſyllogiſmũ, eo modo, quo ex ferreis rotulis componit tandem artifex ſuum Horologium.

44 Neque dicant obiectum materiale ſcientiæ practicæ eſſe illud,in quod ipſa inducere nititur perfectionem aliquam per modum formæ,id, quod propoſitionibus conuenire non poteſt, quippè quibus nulla perfectio de nouo attribui poteſt ab earũ entitate diſtincta. Reſpondemus enim hoc argumentum valere de obiecto materiali, quod pręexiſtit ante formale;nõ verò de eo,quod non pręexiſtit; Nam inter facultates operatiuas,aliquę habent materiã præexiſtentem, quam expolire debent, & artificiosè diſponere,vt patet in Lignaria. Aliquæ verò non habent materiam præexiſten-

ſtentem, ſed ex pluribus partibus ſuæ materiæ ſucceſſiuè aduenientibus moliuntur, & fabricant opus aliquod artificioſum; quo pacto ars canẽdi habet pro obiecto Materiali vocem, non tamen præexiſtentem antè cantum, cum non poſſit vox iam edita eleuari, deprimi, aut ſuauiùs inflecti; ſed habet pro obiecto eamdem omninò vocẽ, quæ ſucceſſiuè profertur cum eleuatione, depreſſione, inflexione ſuaui, & ſimilibus: Logica ergò; quia non eſt ex numero earum facultatum, quæ præſupponunt materiam antè formã, eius proindè intentio non eſt perfectionem aliquam inducere in ipſas Propoſitiones: ſed ex ijs potiùs entitatiuè perfectis immediatè fabricat ſua opera.

45 Supereſt ad complementũ Libri de Logica ſecundùm ſe,

eiuſ-

eiusdem effectus inuestigare: ex his enim, quàm facilè, ac certò dignoscantur essentiæ, ac proprietates rerum, nemo non videt. Primus igitur effectus Logicę est cócurrere ad actus aliarum scientiarum, non quidem elicitiuè, immediatè producendo actum Physicum v. g., vel Metaphysicum; sed solùm directiuè, & regulatiuè docẽdo modum, quo fieri debent; quo pacto viatori digito ostẽditur via. Ratio autem huius rei est, quia aliæ scientiæ de se sufficiunt ad eliciendos proprios actus, quorum sunt vera principia, si præsertim adsit directio Logica, ergò, cum non sint multiplicandæ causæ sine necessitate, non est cur Logica effectiuè concurrere debeat ad tales actus.

46 Neq; dicant primò in actibus aliarum scientiarũ esse formam

mam

mam syllogisticam, quæ vtpotè eadem in omnibus scientijs essentialiter diuersis, non potest effectiuè produci ab ijsdē; quia idem effectus nō potest produci à diuersis causis: ac proindè Logicam necessariò requiri, vt eosdem elicitiuè producat. Respōdemus enim à diuersis causis, quatenùs diuersæ sunt, non posse quidem produci eumdem effectum, benè tamen quatenùs in aliquo communi conueniūt: vt patet in actu videndi, qui producitur ab homine, & à Leone, quamvis differant specie, quia saltem in ratione animalis sunt similes. Scientiæ ergò, quamvis secundùm proprias rationes ad inuicem differāt, omnes tamen conueniunt in hoc, quod sunt habitus intellectus essentialiter discursiui, ac proindè benè possunt effectiuè pro-

 du-

ducere in suis actibus vnam, & eamdem syllogisticam dispositionem, secundùm quam vniformiter substant directioni Logicæ.

47 Neq; dicant secundò formam syllogisticam non posse attingi ab alijs scientijs, vtpotè quid proprium Logicę, ad quam proindè ipsa debet elicitiuè cōcurrere. Respōdemus enim formam syllogisticam posse à quocumq; habitu elicitiuè produci, dummodò adsit directio Logica, quæ doceat modum, quo fieri debet, idque præsertim in materijs particularibus aliarum scientiarum, in quibus Logica nil iuris habet in ratione causæ efficientis, eo quòd ad saluandū omne eius adminiculum, ministerium, imò, & necessitatem (si adesset) sola ratio dirigentis, & regulantis secluso quocumque

alio

alio sit satis.

48 Secundus effectus Logicæ est disponere naturalem potentiam intellectus nostri ad perfectam eiusdem operationẽ, quo sensu Logica proprijssimè dicitur virtus intellectualis. Ratio est, quia Virtus intellectualis est dispositio perfecti ad optimum, seu habitus non natura; sed studio nostro acquisitus, vi cuius intellectus noster ita dirigitur, vt perfectissimè semper operetur iuxtà regulas, & inclinationem talis habitus; sed Logica est huiusmodi, quippè quæ intellectum disponit ad perfectissimam operationem syllogisticam, de qua ipsa infallibiles regulas tradit, ergò Logica est virtus intellectualis reddens Hominem laude dignum.

49 Neq; dicant ex Aristotele Virtutem esse *Habitum, qui, &*

bo-

bonum ipsum Hominem efficit, & opus ipsius reddit bonum, ac proindè cùm Logica nō sit huiusmodi, quia potest aliquis perfectissimus Logicus in se esse malus, & malè operari, propriè nō posse dici virtutem. Respondemus enim duplex esse genus Virtutum. Aliæ intellectuales sunt, aliæ morales: illæ inclinant intellectum ad actus perfectos secundùm regulas cognoscendi; istę acquiruntur; in ordine ad actiones humanas secundùm regulas honestatis rectè exercendas. Discrimen autem esse inter Virtutes morales, & intellectuales, quòd primæ denominant possessorem sui bonū simpliciter sine vllo addito, qua ratione bonos eos dicimus, qui sanctè, & honestè viuunt. Secundæ verò denominant possessorem sui bonum dumtaxat secun-

cundùm quid, & in determinato genere bonitatis v.g., bonum Logicum, bonum pictorem, &c. Logica ergò cùm sit virtus intellectualis denominat secundo modo, nõ primo, seu quod idem est, dat bonitatem intellectualẽ, non verò moralem: quare qui Logicam perfectissimè callet, potest esse malus in genere moris; non malus Logicus; ideò, &c.

50 Tertius effectus Logicæ est multarum conclusionũ principia, & causas inuestigare, easdemque demonstratiuè cognoscere, quo sensu Logica verè dici potest pars Philosophiæ. Si enim ex doctrina Aristotelis 1. Metaph.c.1. *Ex admiratione effectuum, quorum causæ ignorabantur cęperunt homines philosophari*; hoc est perquirere multas causas: propriјssimè nil aliud erit

Phi-

Philoſophia, niſi inueſtigatio cauſarum, ſed Logica inueſtigat occultas cauſas multarum conclusionum, circa quas etiam demonſtratiuè procedit, ergò Logica eſt proprijſſimè pars Philoſophiæ. Addimus, antiquiſſimã eſſe eam diuiſionem vniuerſæ Philoſophiæ in Logicam, Phyſicam, Metaphyſicam, & Moralem. Imò Ariſtoteles 1. Top. c. 2. & alibi diuidit *Quæſtionem in naturalem, Moralem, & rationalem*, ſeu Logicam; ſubditq; *de his omnibus Philoſopho agendum eſſe*, ergò ex Ariſtotele Philoſophus agit de quæſtione Logica; ergò Logica eſt pars Philoſophiæ.

51 Neq; dicant primò inſtrumentum non poſſe eſſe partem eius, cuius eſt inſtrumentum: cũ ergò Logica ſit inſtrumentum Philoſophiæ non poterit eſſe eiuſdem pars. Reſpondemus

enim

enim Logicam non esse instrumentum Philosophiæ intrinsecè, & formalitèr eo modo, quo brachium est instrumentũ Hominis; sed extrinsecè, & obiectiuè, quatenus obiectum, circa quod ipsa versatur, est instrumẽtum, seu modus cognoscendi. Ceterùm potest etiam aliquid esse simul instrumentum, & pars vt patet in brachio respectu hominis. Neque dicant secundò Aristotelem sæpè distinguere Dialecticam à Philosophia. Respondemus enim Dialecticam ab Aristotele distingui à Philosophia Antonomasticè sumpta. Non verò à Philosophia Vniuersalitèr sumpta, quæ Rationalem quoque sub se comprehendit.

52 Ex hactenus dictis eruitur optima definitio Logicæ per suum Genus, & Differentiam

hoc pacto: Logica est scientia operatiua syllogismi. Per quatuor verò causarum genera sic; Logica est habitus scientificus in intellectu receptus ab eodem per proprios actus effectiuè acquisitus, productiuus ex natura sua syllogistici operis in ordine ad deducenda ex notis ignota.

ASSERTIONVM DIALECTICARVM

Liber Secundus.

DE ENTE RATIONIS.

53 LOGICA, quæ se ipsam hactenus cõtemplata est, modò ad sui operis structuram descendit. Et primò quidem apparatum facit terminorum, ac vocum de more cuiuscumq; habitus operatiui sollicitè prçexaminantis materiam. Prçmittit illa Entia rationis, vt falsos conceptus præ-

cauere discat, & per ipsos errores accedat ad veritatem.

54 Ens rationis igitur (vt eius naturam statim inuestigemus) non est id, quod habet tantùm esse obiectiuè in intellectu: seu nescio quod Ens productum à cognitione, ab ea, & ab omni Ente reali adæquatè distinctũ, habens suum esse obiectiuum intrinsecum, per quod formaliter cõstituatur in ratione Obiecti Impossibilis; v. g. dùm cognoscitur alius Deus, Hircocernus, &c. obiectum istarum cognitionum non est Ens quoddam Impossibile distinctum à D.O.M. cum attributis Diuinitatis: neq; est Monstrum quoddam fictum intrinsecè, & essentialiter constans ex natura Hirci, & natura Cerui.

55 Et ratio est primò, quia essentia Entis rationis debet for-

formaliter consistere in aliquo, quod saltem sit in intellectu cognoscentis, sed huiusmodi monstra impossibilia non sunt in intellectu cognoscentis, tamquam aliquid distinctum à cognitione, ergò in his monstris non cõsistit formaliter essentia Entis rationis. Minor probatur, quia in tantum huiusmodi mostra dicuntur esse in intellectu cognoscentis, in quantum actualiter cognoscuntur; sed quantumvis actualiter cognoscantur, nihil dicunt in intellectu adæquatè distinctum à cognitione; quia rem cognosci nihil aliud est, nisi exprimi formalitèr, & repræsentari per cognitionem, sicut rem pingi nihil aliud est, nisi repræsentari, & formaliter exprimi per colores, ergò sicut Cæsar malè pictus v.g., præter Cæsarem viuum, & ipsam picturam

non dicit alium quemdam Cæsarem dissimilem Cæsari viuo; & ab ipsa pictura distinctum, ita Ens rationis, quod est mala quędam, & falsa pictura obiectorũ realium, præter obiecta realia, & ipsam cognitionem non dicit tertiam quamdam entitatem ab intellectu confictam.

56 Secundò, quia si ens rationis est monstrum aliquod impossibile, vel includit in sua essentia ficta duo prædicata contradictoria, vel non. Si hoc secundum iam non est monstrum essentialiter impossibile; sed est res quædam ficta possibilis, & producibilis à parte rei, qualis esset Chimera materialiter, & quoàd externam figurationem apparens. Si primùm accipiamus Hircoceruum fictum verificantem in sua essentia ficta hæc duo contradictoria *esse Hircum*,

cum, & *non esse Hircum*: tum sic argumentor. Tam sunt contradictoria *esse Hircum verum*, & *non esse Hircum verum*, quàm *esse Hircum fictum*, & *non esse Hircum fictum*; sed propter primam contradictionē repugnat dari Hircoceruum verum existentem à parte rei, ergò propter eamdem repugnabit dari Hircoceruum fictum existentem extra cognitionem. Confirmatur hoc argumentum, quia si intellectus apprehenderet hoc monstrum impossibile apprehenderet illud, & non apprehenderet, sed hoc implicat; ergò. Sequela probatur, quia hoc mõstrū includeret in se formaliter *esse Hircum*, & *non esse Hircum*, ergò *esse cognitum*, & *non esse cognitum*, quia cognosci sequitur ad esse; ergò intellectus cognosceret, & nō cognosceret Hircum; quia esset, &

non esset Hircus, cognosceret, & non cognosceret Ceruum, quia esset, & non esset Ceruus.

57 Tertio, quia ex D. Thoma p.p. q.25. art.3. *Id, quod implicat contradictionem, non potest ab vllo intellectu concipi*: quia nulla potest dari species repræsentatiua eius: species enim repræsentatiua talis monstri deberet esse distincta ab omnibus speciebus obiectorum realium; sicut res per ipsam repræsentata distincta est ab omni ente reali, sed species distincta ab omnibus speciebus obiectorum realium omninò repugnat; esset enim species ficta, & Chimerica, & extra latitudinem specierum realium; quæ necessariò alicuius veri entis sunt species; ergò, &c. Verum quidem est, quod intellectus potest abuti speciebus realibus eas pro libito suo permiscendo; ex

quo tamen non sequitur, quod tales species permistæ possint repræsentare aliquid distinctum ab omni ente reali; sicut enim stante etiam hac permistione nihil amittunt Entitatis, à qua habent, vt sint species obiectorum realium; ita semper repræsentant obiecta realia, & ex vi talis permistionis id solùm habent, vt repræsentent obiecta realia permisto, ac opposito modo, ac sunt in se.

58 Obijciunt; Quando intellectus concipit Hircoceruũ præter naturam Hirci, & naturam Cerui concipit nescio quid idẽtificans vtramq; naturam; sed hoc est nescio quid implicans, & constituens illas naturas alioquin reales in ratione monstri impossibilis, ergò ens rationis formaliter consistit in hoc mõstro impossibili. Respondemus

inter naturam Hirci, & naturam Cerui non intercedere identitatem aliquam, aut vnionē obiectiuam; sed solùm formalē quatenus cognitio ipsa intrinsecè falsa repræsentans duas naturas reales ad modum vnius dicitur illas formaliter vnire in se ipsa. Ceterùm ex hac vnione formali non sequitur aliquod tertium distinctum à naturis realibus, quas vnit, & ab ipsa cognitione formaliter vniente; sicut ex eo quòd pictor in eodem corpore delineet diuersas naturas, non dicitur efficere tertium aliquid distinctum ab ipsis naturis realibus, & ab ipsa pictura.

59. Instant: Quando intellectus dicit *Chimera est impossibilis Chimera est nihil*, vel nomine *Chimeræ*, apprehendit omnia realia, vel non omnia realia. Si hoc secundum: ergò apprehen-

dit

dit aliquod non reale, ac proindè aliquod monstrum impossibile fictum. Si primum; ergò illæ Propositiones sunt falsæ; quia falsum est Entitates reales, quæ componunt Chimerã esse quid impossibile, & esse nihil. Respondemus in his Propositionibus ex parte subiecti apprehendi omnia realia; Neq; inde sequitur eas Propositiones esse falsas: quia possũt plures naturę reales secundùm diuersos respectus esse quid possibile, & quid impossibile, esse aliquid, & esse nihil. Sunt aliquid, sunt quid possibile intrinsecè, & secundùm se, si seorsim considerentur. Sunt nihil, sunt quid impossibile, vt vnitę formaliter in cognitione: non quia sint tertia quædam Entitas ficta; sed quia verè impossibile est, quòd ponantur extra cognitionem, eo modo, quo in illa re-

præsentantur. Quare explicandus erit sensus illarum Propositionum hoc pacto; *Plures naturæ, quæ concipiuntur nomine Chimeræ, non possunt realiter identificari*: *Chimera non est vnum ens, non est aliquid vnum, &c.* ex quo patet illas Propositiones, & si videantur affirmatiuę, reuera esse negatiuas.

60 Instant. Quando Intellectus determinatè affirmat *Hircus est Ceruus, Deus est Albus, &c.* inter has naturas non affirmat vnionem realem: ergò identitatem aliquam fictam, & impossibilem constituentem formaliter Monstrum rationis. Respondemus affirmationi, vel negationi falsæ nullo modo correspondere ex parte obiecti identitatem fictam, & imposibilem. Ratio est primò, quia, quando dico *Homo est animal*, affirmo identi-

ta-

tatem veram inter Hominem, & Animal: ergò quando dico *Homo non est animal*, nego prorsùs eamdem identitatem verã; non fictam; alioquin hæ duæ Propositiones contradictoriæ *Homo est animal*, *Homo non est animal*, non haberent idem indiuisibile obiectum, ac proindè non essent verè contradictoriæ. Secũdò, quia si intellectus quãdo dicit *Equus est Homo* affirmaret identitatem fictam inter Equum, & Hominem illa Propositio esset vera: Siquidem propositio est vera, vel falsa, ex eo quòd eius obiectum est, vel non est eo modo, quo affirmatur: sed quando affirmatur Hominẽ esse Equum verè inter Hominem, & Equum est vnio ficta; quia inter Hominem, & Equum non potest esse vnio vera; ergò si illa Propositio affirmaret vnionem

fictam,

fictam, quæ verè adest, esset Propositio omninò vera.

61 Neq; valet responsio Arriagæ dicentis affirmari quidem vnionem fictam; sed tamquam realem, ac proindè cùm in se realis non sit falsificare Propositionem. Contra enim est, quia tàm falsum est Equum esse Hominem, quam illam idētitatem fictam esse veram, sed intellectus affirmando eam identitatē fictam tamquam veram, nō fingit aliam identitatem inter idētitatem veram, & fictam; alioquin abiretur in infinitum; Si enim fingeret aliam identitatē fictam inter veram, & fictam identitatem, affirmaret iterùm tamquam vetam eam, quæ vera non esset, ergò inter ipsam, & veram fingeret aliam identitatem, & sic in infinitum; ergò ne incidamus in hoc absurdum, dicen-

cẽdum est Intellectum nec primò fingere identitatem inter Equum,& Hominem,& solùm affirmare vnionem formalem, quæ verè est inter hæc duo.

62 Instant denique. Vos negatis tale monstrum impossibile, ergò verè datur in vestro intellectu. Respondemus primò retorquendo argumentum,quia aliqui negant dari verbum mẽtis, & tamen velint, nolint iam illud habent in mẽte: si id,quod negant,agnoscunt. Respondemus secundò dupliciter aliquid posse affirmari,vel negari. Primo Iudicio incomplexo affirmante, vel negante totum aliquod obiectum indiuisibilitèr sumptum: vt cum dicitur *Antichristus non est*. Secundo. Iudicio complexo tendente in plura obiecta, quorum vnum negetur de alio: vt cum dicitur *Homo est* an:-

fictam, quæ verè adesset, esset Propositio omninò vera.

61 Neq; valet responsio Arriagæ dicentis affirmari quidem vnionem fictam; sed tamquam realem, ac proindè cùm in se realis non sit falsificare Propositionem. Contra enim est, quia tàm falsum est Equum esse Hominem, quam illam idẽtitatem fictam esse veram, sed intellectus affirmando eam identitatẽ fictam tamquam veram, nõ fingit aliam identitatem inter idẽtitatem veram, & fictam; alioquin abiretur in infinitum; Si enim fingeret aliam identitatẽ fictam inter veram, & fictam identitatem, affirmaret iterùm tamquam veram eam, quæ vera non esset, ergò inter ipsam, & veram fingeret aliam identitatem, & sic in infinitum; ergò ne incidamus in hoc absurdum, di-

cen-

cēdum est Intellectum nec primò fingere identitatem inter Equum, & Hominem, & solùm affirmare vnionem formalem, quæ verè est inter hæc duo.

62 Instant denique. Vos negatis tale monstrum impossibile, ergò verè datur in vestro intellectu. Respondemus primò retorquendo argumentum, quia aliqui negant dari verbum mētis, & tamen velint, nolint iam illud habent in mēte: si id, quod negant, agnoscunt. Respondemus secundò dupliciter aliquid posse affirmari, vel negari. Primo Iudicio incomplexo affirmante, vel negante totum aliquod obiectum indiuisibilitèr sumptum: vt cum dicitur *Antichristus non est*. Secundo. Iudicio complexo tendente in plura obiecta, quorum vnum negetur de alio: vt cum dicitur *Homo est*

an:-

animal, Hircus est Ceruus. Quando ergo nos negamus hoc mõstrum impossibile, non vtimur Iudicio incomplexo tollentes è medio vnam aliquam Entitatẽ indiuisibilem; quia hanc non possumus apprehendere, sed vtimur Iudicio complexo negantes vnum de alio, hoc est, de obiecto cognitionis falsæ, quod sit aliquid fictum, & impossibile, seu quod natura Hirci sit natura Cerui.

63 Quod si vlterius contendant Aduersarij debere etiam à nobis apprehendi monstrum illud per modum vnius indiuisibilis entitatis: quia negamus tale monstrum esse vnam indiuisibilem Entitatem, in Iudicijs autem necessariò requiritur apprehensio vtriusq; extremi. Respondemus in Iudicijs debere apprehendi vtrumque extremũ,

si

ſi vtrumque ſit de re perceptibili. Quod ſi imperceptibilis omninò ſit res expreſſa alterutro extremo, ſatis erit apprehendere illam ſecundùm materialem ſignificationem Termini; ex. g. ſi ſit negandum Petrum currere, & non currere, apprehendi non poterit curſus, & non curſus, vtpotè quid imperceptibile, ac proindè impotens terminare apprehenſionem noſtram; ſed ſufficiet penetrare vim externarum vocum, & rem tamquam imperceptibilem omninò negare. Quando itaq; nos negamus de obiecto cognitionis falſæ monſtrum illud impoſſibile non formamus vllum interioré conceptum de tali monſtro, tamquam de re aliqua à cognitione diſtincta: ſed ſcimus tantùm aduerſarios externis illis vocib. velle explicare aliquid prorsùs im-

imperceptibile, illudq; hac de causa negamus. Quod si quis iactet apprehendere se tale monstrum, dicimus id esse omninò impossibile: aliquãdo enim existimamus habere in mente id, quod re vera non est, nec semper externis vocibus correspõdet interior conceptus, vt patet in omni errore circa apprehensiones, & clarissimè in ipsis mendacijs.

64 His reiectis firmissimè cõcludi potest Ens rationis nihil aliud esse, nisi *ipsum ens reale conceptum opposito modo, ac in se sit cum virtuali saltem contradictione, ad se ipsum*. Quare eius essentia adæquatè, & proprijssimè consistit in quodàm complexo denominatiuo intrinsecè, & formaliter includente cognitionem falsam, & Ens reale. Ita Hircoceruus intrinsecè, & realiter consti-

tui-

tuitur in ratione Entis ficti, & Chimerici per naturas ipsas reales Hirci, & Cerui inter se realiter discretas, quatenus cognitione falsa, ceu quodam vinculo alligatæ concipiuntur à nobis per modum vnius, & sibi iam virtualiter contradicunt. Ratio huius rei est, quia nomine Entis rationis communiter intelligitur Ens impossibile implicans contradictionem, &c. sed hoc totũ benè saluatur posito illo complexo, & quocumq; alio secluso: ergò, &c. Minor probatur, quia posito illo complexo, & quocumq; alio secluso statim concipitur res cum modo essendi essentialiter opposito illi, quē de facto habet, & cum virtuali contradictione ad se ipsum, vt patet ex natura talis complexi: sed res concepta cum hoc modo essendi essentialiter apposito

to

to eſt ens impoſſibile, & implicans contradictionem;ergo,&c. Confirmatur,quia eo ipſo,quòd intelligitur Ens aliquod fictum, & falſum intelligitur Ens rationis;ſed ratio ficti, & falſi,ſeu falſitas, & fictio ex D.Thoma p.p. q.17.art.1.*eſt denominatio formalis proueniens à cognitione fingente, & falſa*,ergo ſicut denominatio eſt quoddam complexum intrinſecè, & formaliter conſurgens ex re ipſa, & forma denominante;ita Ens rationis,&c.

65 Obijciunt. Obiectum cognitionis debet diſtingui ab ipſa cognitione; ſed Hircoceruus eſt obiectum cognitionis falſæ, ergo Hircoceruus diſtinguitur à cognitione falſa, ac proindè illam formaliter non includit. Reſpondemus obiectum cognitionis poſſe ſumi dupliciter: primò materialiter, & ſpecificatiuè,

uè, quatenus est id, quod subiacet cognitioni veluti materia, & subiectum, circa quod ipsa versatur, vel cui ipsa est conformis, aut difformis, vel per cuius speciem producitur. Secundò formaliter, & reduplicatiuè, quatenus est res ipsa in esse obiecti, hoc est, secundùm illam rationem, quam habet in cognoscẽte, & secundùm quam formaliter repræsentatur. Ad argumentum igitur respondemus distinguendo Maiorem: Obiectũ cognitionis materialiter, & specificatiuè sumptum distingui debet ab ipsa cognitione concedimus: formaliter, & reduplicatiuè sumptũ negamus, quia obiectum vt obiectum essentialiter includit ipsam cognitionem; quando autem dicitur Hircoceruus est obiectum cognitionis falsæ distinguimus pariter:

materialiter, & specificatiuè secundùm naturas concedimus, formaliter, & reduplicatiuè, quatenus includit rationem formalem cogniti, & repræsentati subdistinguimus; Est obiectum formale, & reduplicatiuum concedimus materiale, & specificatiuè negamus: cognitio autem non debet distingui ab obiecto formaliter, & reduplicatiuè sumpto: sed solùm materialiter, & specificatiuè, vt mille exemplis explicari posset.

66 Instant: Si Ens rationis non esset aliquid adæquatè distinctum à cognitione fingente, iam cognitio nostra, quę cognoscit Ens rationis, cognoscerer se ipsam, sed hoc est falsum; ergo, &c. Respondemus per cognitionem directè factiuam Entis rationis nō attingi illud formaliter, & reduplicatiuè, quatenus

nus Ens rationis est: ad hoc enim requiritur actus reflexus attingens id, quod per priorem actum cognitum est; sed attingi tantùm materialiter, & specificatiuè secundùm naturas reales, quæ ex vi talis cognitionis directè fiunt Ens rationis, quãvis id eodem actu non cognoscatur. Simili modo, quo dùm nutritur viuens directè fit ipsa nutritio, nec tamen percipitur eodem exercitio vitæ, quo fit, & dum aspicitur albedo in pariete ex vi illius actus materialiter tantùm attingitur, non formaliter, & reduplicatiuè quatenus visa. Addimus, licèt cognitio non possit cognoscere se ipsam vt quod, tamquam obiectũ materiale, in quod feratur, posse tamen cognoscere se ipsam, vt quo tamquam obiectum formale, quod cum sit ratio formalis

lis repręsentans alia, eo ipso etiam repræsentat se ipsam: vt à simili dici potest de lumine, & alijs.

67 Instant etiam; Ens rationis est aliquid impossibile; sed complexum ex cognitione falsa, & Ente reali non est aliquid imposibile, ergo Ens rationis non consistit formaliter in hoc complexo. Respondemus Ens rationis non esse aliquid impossibile intrinsecè, & obiectiuè extra cognitionem, quasi dicat constitutionem, & vnionem intrinsecam Prædicatorum contradicentium, quæ se inuicē destruant; hoc enim est prorsùs intelligibile; vt probatum est; sed solùm esse aliquid imposibile formaliter, & repręsentatiuè in cognitione, quatenus Ens alioquin reale ex vi repræsentationis falsæ coniungitur cū alio

Ente

Ente reali ſibi contradictorio; ex quo non ſequitur impoſſibilitas aliqua intrinſeca, & obiectiua: ſed ſolùm denominatio obiecti falſi, ficti, & impoſſibilis ab ipſo actu formali componẽte contradictoria: Simili modo, quo Cæſar falsò repræſentatus in ſua imagine non eſt quid diſtinctum ab ipſa imagine; ſed eſt ipſamet imago formaliter denominans Cæſarem verũ malè repræſentatum. Cęterùm Ens rationis eſt quid impoſſibile tantùm ſecundo modo, non primo.

68 Porrò hoc Ens rationis nec ab oculo, nec ab vllo alio ſenſu effici poteſt. Ratio eſt, quia obiectum ſenſuum debet eſſe quid naturaliter ſenſibile, & præſens, cuiuſmodi certè non eſt Ens rationis, quod omninò implicat dari. Neq; exiſtiman-

dum eſt ſenſus aliquando falli per ſe, & formaliter: nam viſio v.g. quæ eſt ſenſibilis imago obiecti, vel repræſentat hoc obiectum, vel non. Si primum: ergo non fallitur. Si ſecundum, ergo repræſentat aliud obiectũ, quod cum verè attingat, vtpote ſenſibile, & exiſtens iam neque reſpectu huius decipitur. Solum ergo ſenſus dici poſſunt falli occaſionaliter, quatenus haurientes ſpecies confuſas ab obiectis dant occaſionem intellectui, vt decipiatur.

69 Similiter non eſt exiſtimãdum tenebras percipi ab oculo, quatenus ſunt priuatio lucis: quia in hoc ſenſu *tenebroſum* dicitur *inuiſibile*; ſed ſolùm quatenus attinguntur corpora externa, in quibus nulla ſit lux. Denique colores in collo columbæ, & Iride, quamvis percipian-

piantur ab oculo, dici non possunt Entia ab eodem ficta; quia reales sunt; vt enim in Physicis docent multi, & pro nunc libet supponere color nullo modo distinguitur à luce admista perspicuitati, vel opacitati obiectorũ, atque adeò secundum quod diuersimodè lux terminat oculũ repręsentat diuersos colores, qui realiter nihil plus sunt, nisi diuersa permistio lucis. Idem dicendum est ad varias experientias, quæ fiunt vitris coloratis, vel trigonis. Circa quæ

70 Aduertendum ab oculo immediatè solùm attingi colores, & lumen; cætera, quæ sunt in obiectis externis attingi solùm per accidens, & vi alterius: vt sunt magnitudo, quantitas, locus, & situs, quæ non immediatè ratione sui, sed mediatè ex varia dispositione ipsius lucis

dum est sensus aliquando falli per se, & formaliter: nam visio v.g. quæ est sensibilis imago obiecti, vel repræsentat hoc obiectum, vel non. Si primum: ergo non fallitur. Si secundum, ergo repræsentat aliud obiectũ, quod cum verè attingat, vtpote sensibile, & existens iam neque respectu huius decipitur. Solum ergo sensus dici possunt falli occasionaliter, quatenus haurientes species confusas ab obiectis dant occasionem intellectui, vt decipiatur.

69 Similiter non est existimãdum tenebras percipi ab oculo, quatenus sunt priuatio lucis: quia in hoc sensu *tenebrosum* dicitur *inuisibile*; sed solùm quatenus attinguntur corpora externa, in quibus nulla sit lux. Denique colores in collo columbæ, & Iride, quamvis percipian-

piantur ab oculo, dici non possunt Entia ab eodem ficta; quia reales sunt; vt enim in Physicis docent multi, & pro nunc libet supponere color nullo modo distinguitur à luce admista perspicuitati, vel opacitati obiectorũ, atque adeò secundum quod diuersimodè lux terminat oculũ repręsentat diuersos colores, qui realiter nihil plus sunt, nisi diuersa permistio lucis. Idem dicendum est ad varias experientias, quæ fiunt vitris coloratis, vel trigonis. Circa quæ

70 Aduertendum ab oculo immediatè solùm attingi colores, & lumen; cætera, quæ sunt in obiectis externis attingi solùm per accidens, & vi alterius: vt sunt magnitudo, quantitas, locus, & situs, quæ non immediatè ratione sui, sed mediatè ex varia dispositione ipsius lucis

veniunt ad oculum. Eatenus .n. v.g. videt aliquis Regem, quatenus in Rege ſunt tales colores, & lux, quæ ſi non adeſſent, eſſet illi Rex penitus inuiſibilis: vt ſunt Angeli, & Deus. Quod autem eum videat ſedentem hìc id non prouenit, quia videat ipſum eſſe hìc, & ipſum locum immediatè in ſe ipſo; ſed quia videt corpus Regis per lumen reflexum ab hoc loco: quod lumẽ in oculo aſpicientis Regem ſeruat diſpoſitionem tum corporis, tum loci, in quo eſt Rex, eo quòd eodem prorſus modo diſpoſitum ſit, ac terminatum in eius oculo, quo diſpoſitum, ac terminatum eſt in Rege, & in loco Regis; Et hoc modo dicitur ille videre Regem ſedentem in loco.

71 Aduertendum etiam ſæpè contingere, vt lumen veniens

ad

ad oculum non seruet debitam terminationem, & dispositionẽ, cum qua recedit ab obiecto: nam refrangitur in aliquo medio denso, & ibi confundit dispositionem, & terminationem sui, quam portabat ad oculum cum dispositione, & terminatione illius medij. Quo casu semper sequitur aliqua apparẽtia rei in loco, vbi non est: vt quando nummus existẽs in fundo vasis pleni aquæ videtur esse in superficie eiusdem, id nascitur, quia ille nummus transfundit suum lumen, quod necessariò refrãgitur in superficie aquę: ideoq; cum dispositio, & terminatio huius luminis confundatur cum dispositione, ac terminatione superficiei aquæ, ita cernitur, ac si esset in superficie aquæ; ex quibus patet responsio ad omnes experientias, quæ fie-

rent vitris artificiosis; oculus enim, vtpotè non percipiens locum, non coniungeret colores illos cum loco, sed solùm aspiceret lumen, eiusq; terminationem, ac dispositionem cõfusam cum dispositione, ac terminatione alieni loci, quod totum cùm reale sit, & sensibiliter præsens, non facit intellectum errare, dùm videt colores vbi non sunt.

72 Maior difficultas est de colore essentialiter alligato alicui spatio, quod per speculum in altero loco aspici posset. Nihilominus vel dicendum est huiusmodi colorem non posse esse obiectum huius potentiç visiuç, quæ de facto datur; quia hæc nõ fertur nisi in colores secundùm exigentiam corporum, quib. inhærent, indifferentes ad essendũ in hoc, vel in illo loco: vel ad-

misso

miſſo etiam tali colore directè reſpondendum, oculum cernentem talem colorem in ſpeculo videre ſimul etiam locum illum, cui eſſet eſſentialiter alligatus; lumen enim talis coloris, quod refrangitur in ſpeculo, non ſolùm portat ad oculum diſpoſitionem, ac terminationem ſui; ſed etiam diſpoſitionem, ac terminationem loci, in quo eſt talis color; vt patet ex eo, quia ſi ille color per eſſentialem alligationem eſſet poſitus in aliquo vaſe cerneretur in ſpeculo color ſimul, & vas.

73 Addimus talem colorem quantumvis eſſentialiter alligatum alicui loco poſſe videri in alio; eſſet enim ibi alligatus quòad entitatem tantùm, non verò quòad ſpeciem repræſentatiuam ſui, quam certè poſſet

alio transmittere, sicut quilibet alius color de facto existens per refractionem speculi non fert secum suam Entitatem, sed solā speciem, qua stante posset cerni ille color, etiamsi Deus eius Entitatem, vel destrueret, vel aliò transferret. Præterquamquod oculus videndo eum colorem alibi, quia nihil sciret de illa alligatione essentiali, vtpotè solius intellectus, nullo modo erraret.

74 A solo igitur intellectu fit Ens rationis: quia solus actus intellectiuus potest formaliter vnire prædicata essentialia contradictoria; & habere pro obiecto nō quidem motiuo; sed terminatiuo saltem alium Deum, Hircoceruum, Chimeras, &c. Id, quod nullo modo potest cōpetere voluntati, quæ cum non habeat actus formaliter cogno-

sci-

ſcitiuos, vtpotè ex ſuo modo tẽdendi cęca, non poteſt ſtatuere ſibi pręſentia obiecta ficta, quorum totum eſse conſiſtit in formali repręſentatione.

74 Et quamvis poſſit aliquis deſiderare ſe eſse Deum, ac proindè per actum deſiderij vnire ſe impoſſibiliter cum Deo; dicendum eſt talem vnionem non ſufficere ad faciendum Ens rationis; debet enim eſse talis vnio per modum formalis imaginis repræſentantis obiectum, & conſtituentis illud in ratione cognoſcibilis, quod actui deſiderij conuenire non poteſt. Si quis autem deſideraret Hircum eſse Ceruum, atq; adeò videretur vnire impoſſibiliter naturā Hirci cum natura Cerui, nullo modo is faceret Ens rationis: quia ille actus non eſset formalis vnio naturarum incompoſſi-

bilium;sed esset actus desiderãs talem vnionem; Sicut siquis actu reflexo cognosceret suum Ens rationis nullo modo diceretur illud facere,quia hic actus reflexus non esset formalis connexio naturarum incompossibilium:sed actus purè cognoscitiuus talis connexionis.

75 Verùm per omnes tres operationes Intellectus Ens rationis effici poteſt. Ratio eſt, quia poteſt apprehensio etiam simpliciter simplex repræsentare formaliter quartam personã Trinitatis, alium Deum, Hircoceruum,&c.Iudicium poteſt determinatè, hæc omnia affirmare, vel negare dicendo *Chimera non datur,non eſt alius Deus*, & similia. Discursus denique poteſt illa omnia ex alijs inferre dicẽdo, *Deus eſt intrinsecè multiplicabilis; ergò possibilis eſt alius Deus:* er-

ergo,&c. Neque excludenda est Apprehensio simpliciter simplex;eo quòd quamcumque naturam apprehendat v.g.Chimeram, semper apprehendat complexum ex pluribus naturis, ac proindè amplius non sit apprehensio simpliciter simplex, quæ in rem omninò indiuisibilē ferri debet;Respondemus enim Chimeram formaliter esse quid vnū indiuisibile quatenus repræsentatur intellectui per plurium identitatem sub vno nomine; licèt materialiter coalescat ex pluribus.Hoc autem non officit apprehensioni simpliciter simplici,cuius obiectum potest esse Petrus, & tamen Petrus non est vna simplex Entitas: sed plures partes tum Physicas, tum integrales includit.

76 Neque dicant disparitatē esse, quia in Petro sunt plura

partialia, in Chimera verò plures naturę totales; dicimus enim naturas totales eo ipso quod formaliter vniuntur in vna Chimera acquirere hìc, & nunc esse partiale, quatenus concipiuntur tamquam partes vnius, & eiusdem Chimeræ. Addimus maiorem vnitatem concipi in Chimera, quam in Petro; in Chimera enim concipiuntur partes identificatæ inter se: in Petro verò tantummodo vt vnitæ, vel Physicè, vel integraliter. Similiter non est excludendum Iudicium eo quod habeat idem indiuisibile obiectum, ac simplex apprehensio: verè enim etiam Iudicium facit Ens rationis, non quidem illud idem, quod facit prima operatio: sed aliud formaliter diuersum diuersitate desumpta ab ipsis actibus, quos in nostra sententia ens rationis

for-

formaliter includit.

77 Porrò etiam in actu dissensus reperitur fictio Entis rationis: nam cum dicitur v.g. *Chimera non datur* subiectũ huius propositionis est omninò repugnãs & impossibile, & non solùm intellectus habet pro obiecto repugnantiam Chimeræ, seu non esse eiusdem: sed etiam immediatè fertur in ipsam Chimerã, de qua negat tale esse: ergò ex vi talis actus verè concipitur aliquid impossibile, & fit Ens rationis. Quod si dicant per hunc actum destrui potius Chimerã, & eius existentiam; Respondemus destrui extra intellectum secundùm rationem Entis realis producibilis à parte rei: non verò secũdùm rationem fictam Entis rationis, quam certè ex vi illius actus non amittit. Si verò instent illa Propositio *Chimera*

non

non datur eſt vera;ergo non facit Ens rationis. Reſpondemus quamcumque Propoſitionem, & Iudicium mentale duo dicere,nempe rationem attingentię, ſeu puræ cognitionis intellectualis repræſentantis formaliter obiectum, & rationem Propoſitionis affirmantis, vel negantis vnum de alio. Ille actus ſub ratione Propoſitionis, quatenus verè negat exiſtentiã Chimeræ eſt veriſſimus; quia Propoſitio, quà talis deſumit ſuam veritatem non à ſubiecto, aut Prædicato;ſed ab vnione, quam ponit, vel negat inter vtrumq;: ſub ratione verò attingentiæ, & cognitionis intellectualis ille actus eſt falſus,quia eſt formalis repræſentatio Chimeræ impoſſibilis, & hæc ſecunda falſitas ſufficit ad faciendum Ens rationis.

78 A Deo Optimo Maximo fieri non poteſt: quia Ens rationis non fit, niſi per actum, qui ſit formalis connexio naturarum incompoſſibilium per modum formalis imaginis repræſentantis illas oppoſito modo, ac in ſe ſint; vt patet ex ipſa natura Entis rationis; ſed huiuſmodi actus repugnat Deo, eſt enim eſſentialiter falſus, & difformis obiecto ſuo, ac proinde omnino oppoſitus, ac diſcõueniens ſummæ veritati Diuinæ, eiuſq; actibus eſſentialiter intuitiuis, ergo, &c. Verùm quidem eſt, ab illo perfectiſſime cognoſci omnia Entia rationis, non quidem directè in ſe ipſis, independenter à cognitione creata, quaſi actu ſuo immediatè feratur in non Ens, ſeu naturam aliquam impoſſibilem, eamq; intellectui ſuo ad modum Entis obijciat; hoc

enim

enim dicit maximam imperfe-ctionem, secum fert positiuam falsitatem, ac Diuinis actibus essentialiter veris, & intuitiuis omninò repugnat. Solùm ergo indirectè, & in intellectu creato cognoscit Deus omnia Entia rationis, quatenus omnes nostras cognitiones fingētes actu suo verissimo attingens, in ijs videt omnia figmenta rationis, quibus nos continuò ludimus tam difficiles nugas. Verùm hoc non est facere Ens rationis; sed contemplari tantummodò iam factum ab alio.

79 Obijciunt. Potest Deus independenter ab omni intellectu creato habere hæc Iudicia, *Hircoceruus non datur*, *alius Deus est impossibilis*, & id genus; ergo potest efficere Ens rationis. Respondemus non tàm facilè admittendum esse in Deo actum

Iudi-

Iudicij affirmantis, vel negantis vnum de alio: tum propter rationes Theologicas, tum etiam ad rem, quia si Deus potest hoc modo dicere *Hircocervus est nihil*, vel loco illius vocis *Hircocervus* concipit purum nihil, vel aliquid. Si purum nihil, ergo dicit *nihil est nihil*: Si aliquid; vel hoc aliquid est quid distinctum à cognitione, vel non; non primum; alioquin Deus statueret præsens intellectui suo Monstrũ illud impossibile, quod supra impugnauimus: neq; secundùm quia, cùm Ens rationis sit aliquid fictum, & falsum iam falsam redderet cognitionem Diuinam, ac verè fingentem vtpote indistinctum ab illa. Dicendum est igitur, quod quando Deus negat Hircoceruum, aliũ Deum, & similia non repræsentat sibi Hircoceruum, & alium

Deum

Deum per modum primæ intẽtionis, & tamquam subiectum aliquod, de quo neget entitatẽ: sed eatenus iudicat, Hircoceruũ repugnare, quatenus vno simplicissimo intuitu cognoscit necessitatem essentialem, secundùm quam Hircus, & Ceruus sunt essentialiter id, quod sunt, & eatenus iudicat repugnare alium Deum, quatenus simplicissimo actu repræsentat sibi Deitatem suam essentialiter singularem, vnam, ac proindè immultiplicabilem, & à nullo obiecto possibili videt posse illam participari.

80 Instant. De facto Deus concurrit cum Intellectu nostro ad efformandum Ens rationis; nihil enim potest fieri à creaturà sine actuali concursu Dei; ergo actio productiua entis rationis indiuisibiliter pendet à Deo,

& à Creatura, ergo si Creatura facit ens rationis, etiam Deus necessariò illud facit. Respondemus primò retorquendo argumentum, quia Deus concurrit nobiscum ad omnem actum peccaminosum, & tamen non dicitur nobiscum peccare. Respondemus secundò directè distinguendo antecedens. Deus concurrit cum intellectu nostro ad efformandum ens rationis in genere causæ efficientis concedimus; in genere causæ materialis negamus. Quando Deus cõcurrit nobiscum ad efformanda entia rationis concurrit in genere causæ efficientis producẽdo simul cum intellectu nostro cognitionem illam, quæ est ratio formalis constitutiua entis rationis in eo, in quo subiectatur talis cognitio; non verò in genere causæ materialis, quasi

ita concurrat ad eum actum, vt ipsum in se recipiat, aut ab eo denominetur intelligens, & cognoscens; alioquin sicut Creatura decipitur, deciperetur & ipse Deus, & sicut Homo errat, erraret & Deus. Cæterùm ad faciendum ens rationis non solùm requiritur concursus in genere causæ efficientis, sed etiam in genere causæ materialis: ita vt cognitio denominatura formaliter subiectum suum falsum, & fingens, in eo necessariò recipiatur.

81 Præter ens rationis Chimericum datur etiam ens rationis Logicum in quacumq; Propositione, syllogismo, &c. quatenus hęc omnia, cum attingant obiecta sua aliter, ac sunt in se verè aliquid fingunt. Porrò dupliciter credi potest, hæc fictio contingat. Primò positiuè: ita vt in-

intellectus per cognitionẽ falſam poſitiuè iudicet, vel apprehendat aliquod eſſe, quod non eſt, ex.g. *Deus eſt albus, Hircus eſt Ceruus, &c.* Secundò præciſiuè; ita vt intellectus non concipiat poſitiuè, & veluti per aſſenſum rem eſſe aliquid, quod non eſt; ſed ſolùm præciſiuè non concipiat rem eo modo, quo eſt in ſe, & quomodo poſtulat concipi, ex.g. quando intellectus actu Logico facit Genus non concipit poſitiuè, quod *animal* in ſe ipſo ſit aliquod verum prædicabile de pluribus, & participabile ab ijs; hoc enim videt eſſe falſum; quia *animal* in ſe realiter non eſt quid vnum, ſed multiplex. Verum quidem eſt, quod nec concipit *animal* eſſe diſtinctum in plures naturas, ſicut re vera eſt, & petit concipi; ſed illud dumtaxat ita concipit, vt ex

vi

vi talis cognitionis eas plures naturas quodammodo adunet, & concipiat ad modum vnius. Hoc autem secundo modo fiet ens rationis Logicum, quatenus per definitionem, diuisionem, &c. concipiuntur obiecta modo præcisiuè diuerso ab eo, quo sunt in se ipsis; Neq; est aliquid adęquatè distinctum ab actibus Logicis; sed quemadmodũ positis naturis realibus Hirci, & cerui, & posita cognitione falsa attingente illas opposito modo, ac sunt in se, & quocumq; alio monstro obiectiuo secluso statim intelligitur fictio Hircocerui, & ipsum ens rationis Chimericum, vt vidimus; ita posito obiecto reali, & cognitione præcisiua attingente illud diuerso modo, ac est in se, & quocumq; alio secluso intelligitur statim fictio mentalis, difformitas pręcisi-

ciſiua actus ad obiectum, ac proindè ens rationis Logicum. Diuiditur id communiter in Vnitatem, Diſtinctionem, Compoſitionem, ac Relationem rationis, quæ omnia nihil fictum dicere ex parte obiecti ſuis locis probabimus.

(·.·)

ASSERTIONVM DIALECTICARVM

Liber Tertius.

DE VNIVERSALIBVS, ET PRÆDICABILIBVS.

82 A Parte rei nullnm datur Vniuerſale à ſingularibus ſeparatum, quod ſit natura communis ab omnibus indiuiduis auulſa per ſe ſubſiſtens, ingenerabilis, incorruptibilis, ad cuius ſimilitudinem, & per cuius participationem producantur quęcumq; fiunt. Ratio

tio est, tum quia quod essentialiter prædicatur de alio, non potest esse realiter separatum ab illo, cum sit eius ipsissima essentia, quæ certè separari non potest; sed natura Vniuersalis prædicatur essentialiter de indiuiduis, ergo non potest esse ab illis realiter separata; tum etiam quia, si natura humana esset quid separatum ab omnibus hominibus, non posset dici *Petrus est Homo*, quia ad verificandam hanc propositionem debet Prędicatum esse idem cum subiecto: non esset autem idem, si ab illo separaretur. Tum denique quia hæc natura separata vel est quid creatum, vel increatum; nō secundum, quia solus Deus talis est, neq; primum, quia quidquid creatur singulare est, vtpote terminus actionis creatiuæ, determinatæ, ac singularis; ideo, &c.

Quod si Aristoteles, ac D. Thomas afferantur ab aliquibus pro contraria sententia dicendum est, quoties videntur admittere Vniuersalia, eos loqui de Vniuersalibus in Intellectu, non verò in rebus. Vel si in rebus de Vniuersalibus fundamentaliter solùm, non formaliter acceptis. Si verò vrgeant scientias esse de ijs, quæ dantur à parte rei; ac proinde cùm scientiæ sint de Vniuersalibus, Vniuersalia ponenda esse à parte rei. Respondemus, scientias esse de ijs, quæ dantur à parte rei aliquo modo; vt patet exemplo nihili, Entis rationis, &c. non verò omni modo excogitabili. Quare etiam Vniuersalia erunt obiectũ scientiæ: quia licèt formaliter repugnent in rebus; fundamentaliter tamen de facto dantur.

83 Neq; concedenda est extra

tra intellectum aliqua vnitas formalis communis plurib.; ita vt natura ipsa communis sit quidem realiter inclusa in singularibus numericè distinctis; hac tamen distinctione numerica non obstante seruet in se vnitatem formalem essentiæ, ex. g. Petrus, & Paulus ita sunt duo, realiter distincta, vt nullo modo sint quid vnum formaliter in essentia, quasi vna, & eadem natura humana indiuisibiliter ab vtroq; participetur. Ratio est, tum quia si in omnibus inferioribus esset eadem essentia communis realiter vna iam in Christo, & Iuda esset vna, & eadem natura sancta in illo, in hoc proditrix, in vno amica, in altero inimica Dei, in vno Beata, & in altero damnata. Tum etiam quia in cõsecratione Hostiæ non posset substantia panis

conuerti in ſubſtantiam Chriſti, cum nihil poſſit conuerti in ſe ipſum;& per Aduerſarios ſubſtantia panis, & ſubſtantia corporis Chriſti ſit vna, & eadem eſsentia. Tum deniq; ratione à priori, quia vnitas formalis naturæ nihil eſt aliud quàm ipſa natura provt eſt talis,& nō alia, humana videlicèt, & non equina; ſed à parte rei non dantur niſi plures naturæ,& eſsentiæ,ſicut plura ſunt indiui dua;ergo à parte rei non dantur, niſi plures entitates:ergo non datur vnitas naturæ communis. Minor probatur,quia eſsentia Petri, & eſſentia Pauli non ſunt formaliter vna eſsentia; ſed duæ eſsentiæ; neq; enim Petrus,& Paulus ſunt vnus Homo, ſed ſicut ſunt duo indiuidua: ita ſunt duo Homines,duo corpora,duę ſubſtantię duo entia, ergo, &c.

84 Re-

84 Respondent aduersarij Petrum, & Paulum diuisos esse numericè tantùm, per differentias indiuiduales, ac proinde si considerentur in natura, & essentia esse quid vnum formaliter. Verùm hoc firmissimè tenendum est in Petro, & Paulo non solùm esse plures differentias numericas, & indiuiduales; sed etiam plures differentias essentiales, & specificas. Ratio est, quia quoties differẽtiæ indiuiduales sunt realiter inter se diuisæ, diuiduntur etiam per illas omnia prędicata, supra quæ cadunt tales differentiæ indiuiduales; quia differentia est alicuius differentia, & diuisio est alicuius diuisio, nõ sui ipsius tantùm, ergo, & alterius: sed hoc alterum nihil aliud est, nisi ipsa entitas, & omnia prædicata superiora, supra quæ cadunt tales differentiæ; ergo

hæc omnia in indiuiduis realiter diuiduntur ex vi differentiarum indiuidualium, ac proindè multiplicantur, ex.g. Petreitas dicitur differentia indiuidualis Petri à Paulo, non quia diuidatur ipſa differentia tantùm; ſed quia Entitas, Subſtantia, Animalitas, & Rationalitas, quę vocatur, hoc nomen Petrus diuiditur ab Entitate, Subſtantia, Animalitate, Rationalitate, quę vocatur hoc nomẽ Paulus: Vndè in Metaphyſica efficaciter probabimus differentias indiuiduales nullo modo diſtingui à parte rei, ab eſſentijs, quorum ſunt differentię; & per conſequens multiplicatis differentijs indiuidualibus, multiplicari etiam ipſas eſſentias.

85 Dicunt. Petrus, & Paulus non diuiduntur eſſentialiter, ſicut Petrus, & Equus; quia vterq;
eſt

est Homo; & in ijs est negatio diuisionis formalis, quia non possunt diuidi in Equum, Leonem, & alias naturas dissimiles; sed negatio diuisionis formalis est vnitas formalis; ergo Petrus, & Paulus re vera habent vnitatem formalem. Respondemus Petrum essentialiter, & formaliter diuidi à Paulo; quia entitas, & prædicata Petri, re vera non sunt entitas, & prædicata Pauli. Verum quidem est, quod Petrus non differt à Paulo, hoc est, non habet essentialem diuersitatem ab illo, sicut habet ab Equo. Cæterũ aliud est esse diuersum; aliud essentialiter diuidi rigorosè loquendo, quamvis extra hãc materiam vsu loquendi pro eodem accipiantur. Diuidi est vnã essentiam non esse aliam essentiam: differre est vnam essentiã esse diuersam, & dissimilem al-

teri. Itaque licèt esſentia Petri non ſit diſſimilis esſentiæ Pauli, non tamen eſt ipſa esſentia Pauli: ſed diuiditur ab illa, ſicut diuiditur ab esſentia Equi, à quo etiam poteſt dici magis diuidi, ſi ly *diuidi* ſignificet *differre*, non verò ſi idem importet, ac *diſtingui*; Quando autem dicitur de Petro, & Paulo, quod vterq; eſt Homo, id nō eſt intelligendum ex vi vnius, & eiuſdem humanitatis; re vera enim duplex humanitas in vtroq; eſt; ſicut etiā non vna, ſed duplex in illis eſt negatio diuiſionis, per quam diuidi non poſsunt in plures naturas diſſimiles, ac proindè in illis non eſt vna vnitas, ſed plures vnitates.

86 In ſolo igitur intellectu datur Vniuerſale, fitq; propriјſſimè per præciſionem formalem non obiectiuam. Pro quo ſciendum

dum est, quando ex duobus Prędicatis identificatis vnum cognoscitur, & alterum non cognoscitur fieri præcisionem obiectiuam, vi cuius vna, & eadē res à parte rei quodammodò diuiditur in duo obiecta, quorum vnum solùm terminat conceptum mentis; Et has pręcisiones obiectiuas sicut suo loco impugnabimus, ita pro nunc supponimus in intellectu non dari. Quando autem conceptus mentis fertur quidem in omnia prędicata inuicem identificata, non tamen vnum discernit ab alio; sed indiuisibiliter omnia attingit actu non aduertente discernicula huiusmodi prædicatorum, ac proindè aliquo modo obscuro, & confuso, tunc interuenit præcisio formalis, seu ex parte actus, quam hìc libentissimè admittimus, & vi cuius

asserimus fieri verum, & proprium Vniuersale.

87 Sciendum est etiam obscuritatem præcisionis formalis explicari per hoc, quod actus hoc modo præcisiuus non discernat suum obiectum ab omni eo, quod non est ipsum, ad differentiam actus expliciti, & clari, qui omnimodè illud distinguit, & ab omni alia re clarissimè segregat. Vndè sequitur cognitionem claram, & confusam non differre ex parte obiecti, cum vtraq; in totam rei entitatem feratur: sed solùm penes maiorem, vel minorem distinctionem eiusdem ab alijs, quæ non sunt ipsum; ideoq; si detur aliqua cognitio, quæ distinguat obiectum ab alia re; sed non ab omni: est quidem aliquo modo clara, sed etiam aliquo modo confusa, vt cum dicimus, *Homo*

est animal, discernimus Hominem ab inanimatis actu aliquo modo claro; sed non discernimus ab irrationalibus; atque adeò elicimus actum aliquo modo confusum: Quod si deindè dicamus *Homo est animal rationale*, nō concipimus aliquod, quod prius non concipiebamus; sed concipimus illud idem cum maiori claritate, & distinctione. Quare tota diuersitas est ex parte actus secundùm diuersum modum cognoscendi quatenus licèt vterq; actus habeat idem obiectum nempè Hominē: primus tamen implicitè, & confusè, secundus explicitè, & clarè illud exprimit.

88 Sciendum vltimò ex his manifestissimè sequi, non esse bonam consequentiam, *Nos scimus illud esse animal, & ignoramus esse rationale, ergo aliquid co-*

asserimus fieri verum, & proprium Vniuersale.

87 Sciendum est etiam obscuritatem præcisionis formalis explicari per hoc, quod actus hoc modo præcisiuus non discernat suum obiectum ab omni eo, quod non est ipsum, ad differentiam actus expliciti, & clari, qui omnimodè illud distinguit, & ab omni alia re clarissimè segregat. Vndè sequitur cognitionem claram, & confusam non differre ex parte obiecti, cum vtraq; in totam rei entitatem feratur: sed solùm penes maiorem, vel minorem distinctionem eiusdem ab alijs, quæ non sunt ipsum; ideoq; si detur aliqua cognitio, quæ distinguat obiectum ab alia re; sed non ab omni: est quidem aliquo modo clara, sed etiam aliquo modo confusa, vt cum dicimus, *Homo*

est

est animal, discernimus Hominem ab inanimatis actu aliquo modo claro; sed non discernimus ab irrationalibus; atque adeò elicimus actum aliquo modo confusum: Quod si deindè dicamus *Homo est animal rationale*, nō concipimus aliquod, quod prius non concipiebamus; sed concipimus illud idem cum maiori claritate, & distinctione. Quare tota diuersitas est ex parte actus secundùm diuersum modum cognoscendi quatenus licèt vterq; actus habeat idem obiectum nempè Hominē: primus tamen implicitè, & confusè, secundus explicitè, & clarè illud exprimit.

88 Sciendum vltimò ex his manifestissimè sequi, non esse bonam consequentiam, *Nos scimus illud esse animal, & ignoramus esse rationale, ergo aliquid co-*

gnoſcimus ex parte obiecti, & aliquid non cognoſcimus, ſicut non eſt bona conſequentia, *Ruſticus ſcit Petrum eſſe Hominem, & ignorat eſſe animal rationale: ergo ex parte Petri aliquid cognoſcit, & aliquid non cognoſcit*. Quare ſicut ex hoc ſolùm infertur Ruſticum non cognoſcere Petrũ tota claritate, ac proindè neſcire explicare illum per voces *animal rationale*, quæ ſignificant *Hominem*, non vtcumque, ſed vt clarè cognitum; ita ſimiliter quod quis apprehendat *animal*, & non apprehendat *rationale*, non oritur ex eo, quod ex parte obiecti diuerſa cognoſcat; ſed quia non habet conceptum clarum illius, explicandum alioquin per vocem *rationale*, etiamſi circa idem obiectum habeat conceptũ minus clarum, qui explicatur per vocem *animal*. Non repugnat au-

autem circa idem omnino obiectum dari cognitionem obscuram simul, & claram, vt patet in re eminus visa, & suo loco probabitur.

89 Ratio autem, cur Vniuersale fiat per præcisionem formalem est, quia per hanc natura fit vna apta esse in pluribus, & prędicari de illis, quatenus concipitur simul cum omnibus indiuiduis confusè acceptis absq; vlla actuali distinctione. Hinc autem accipit illa suam vnitatē per formalem intellectus adunationem, vi cuius distinguibilis adhuc remanet in plura per cōceptus clariores. Legatur D. Thomas opusc. 55. vbi agens de cognitione reddente naturam Vniuersalem sic ait, *Eius autem Vniuersalis non est ex eo quod est ex anima, sed quod comparatur ad multa singularia; est enim illa in so-*

lo

lo intellectu singularis, & est Vniuersalis in quantum habet rationẽ vnius formæ ad omnia indiuidua, quæ sunt extra animam, prout æqualiter est similitudo omnium. Quibus verbis clarissimè indicat S. Doctor ipsum actum, qui est *ex anima*, non verò aliquid ex parte obiecti constituere ipsum Vniuersale, & eumdem actum esse quid singulare provt est in intellectu, provt verò æqualiter respicit plura constituere verum, & proprium Vniuersale.

90 Neq; Hinc sequitur, quod quando quis diceret, *Petrus est Homo*, faceret hunc sensum, *Petrus est omnis Homo*: licèt enim Vniuersale in essendo dicat collectionem omnium indiuiduorum; quòad Vniuersale tamen in prædicando, seu in actuali prædicatione existimamus non fieri; sed supponi iam factã præcisio-

cisionem formalem, ac proindè interuenire dumtaxat prædicatum particulare correspondens singularitati subiecti tamquam partem aliquam per actualem prædicationem auulsam ab ea multitudine, ex. g. *Homo* provt precisè conceptus dicit Vniuersale in essendo; & includit confusè saltem omnia indiuidua: at idem *Homo* si actu prædicetur de *Paulo* supponit quidem apprehēsam illam multitudinem, seu collectionem; Cæterum ex vi actualis prædicationis, quæ est quædam separatio partium; singulas distinguens, ac segregans amittit Vniuersalitatem illius collectionis, & contrahitur ad singularem rationem correspondentem singularitati ipsius Pauli in ea multitudine antea cōtenti, modo ab illa per actualem separationem diuulsi.

91 Si-

91 Similiter nõ sequitur, eam prædicationem fore particularem, quia non prædicaret naturam secundùm se totam, sed solùm secundùm aliquam rationẽ particularem segregatam à cæteris. Siquidem prædicatio Vniuersalis non est illa, qua natura secundùm se totam actu prædicatur de quolibet: sed illa, qua prædicatur natura in apprehensione præcedenti concepta vt vniuersalis. Et ratio est, quia actualis prędicatio non est adunatio; sed potiùs separatio mentalis plurium, ac proinde nõ debet prædicare omnes partes, sed vnam, vel aliquas iuxtà exigentiam singularitatis, vel pluralitatis subiecti. Et dicetur Vniuersalis, non formaliter, & intrinsecè, sed denominatiuè, & extrinsecè, quatenus natura illa, quæ proximè prædicatur de Pe-

tro in actu præcedente subiuit simul cum alijs indistinctè cognitis rationem Vniuersalis.

92 Non sequitur tertiò hanc Propositionem *Petrus est Homo*, fore proprijssimè identicam; quippè quæ æquiualeret huic, *Petrus est Petrus*. Siquidem propositio identica est illa, cuius prædicatum explicitè idem significat, ac subiectum: vt in exẽplo allato *Petrus est Petrus*, & hęc est omninò inutilis, quia nullam clariorem notitiam gignit, quæ per apprehensionem præcedentem habita non sit: At verò cùm dicimus *Petrus est Homo* prædicatum huius propositionis est aliquid explicitè distinctum à subiecto, quamvis realiter sit idem cum illo; explicitè enim importat naturã humanam, non quidem omnẽ, sed eam particularem, quæ est in

Pe-

Petro; natura autem humana, quæ est in Petro, quamvis realiter sit ipse Petrus, explicitè tamen est quid diuersum ab ipso; sicut *animal rationale*, quamvis realiter sit idem cum *Homine*: explicitè tamen est quid diuersum ab ipso. Quare hæc propositio *Petrus est Homo* dici nō potest identica, quia ad hoc non requiritur, quod prædicatum sit quid diuersum realiter à subiecto; cum potius debeāt esse realiter vnum, & idem, sed sufficit, si prædicatum differat à subiecto saltem quòad implicitum, & explicitum, vt dictum est.

93 Nō sequitur quartò idem fore dicere *Petrus est Homo*, *ac Petrus est hic Homo*, *Petrus est quidam Homo*: nam apertissimū discrimen est inter hoc duplex genus propositionum. Primæ supponunt apprehensionē præceden-

cedentem Hominis, & per consequens præcisionem formalem constituentem Vniuersale. Secundæ non supponunt apprehẽsionem præcisiuam formaliter, sed simpliciter explicant rationem particularẽ correspondentem signo particulari *hic*, *quidam*, &c. Ideòq; propositiones primi generis sunt Vniuersales saltem extrinsecè,& denominatiuè: propositiones verò secundi generis sunt intrinsecè particulares,quia & sunt de re singularissima, & eam supponunt singularissimè apprehensam per actum antecedẽtem, qui si prędicatum in actuali prædicatione affectum est signo particulari, ac demonstratiuo, non nisi cum eodem debuit illud antecedenter apprehendere.

94 Non sequitur quintò falsificatio illius dicti *Terminus idẽ præ-*

prædicat, quod significat: id enim solum facit hunc sensum, quod Terminus debet prædicare id, quod significat in actuali prædicatione, non verò id, quod significat extrà actualem prædicationem; vt patet mille propositionibus, quæ quotidie fiunt. Quare licèt in actuali apprehensione animalis in communi cõcipiantur à nobis omnia animalia in confuso vt indistincta inter se, etiam illa, quorum differentias ignoramus, non quidem per species proprias, sed per species animalium notorũ, à quibus ea non discernimus; sicut è duabus Hostijs diuinitùs penetratis neutram discerneremus, sed per species confusas vtriusq; attingeremus vtramq;. Si tamen animal ponatur actu in propositione diuersam significationem induit: secundum

quod

quod exigit subiectum, de quo prædicatur, vt supra.

95 Non sequitur vltimò præcisione formali naturam fieri vnam vnitate solùm extrinseca, non intrinseca. Siquidem quando actus confusus cognoscit naturam cum omnib. indiuiduis, & quodammodò ea omnia adunat, duplex interuenire solet vnitas. Prima dicitur in esse cognito per hoc præcisè, quod ea omnia cognoscātur vnico actu, & hæc est vnitas extrinseca, quæ prouenit etiam ab actu clarissimo, & Deo non repugnat. Secunda dicitur vnitas in ratione Vniuersalis, quatenus talis natura secundùm sua prædicata essentialia non diuiditur in sua plura, sed potius attingitur formaliter, vt quid vnum. Et hæc vnitas, quæ dicitur intrinseca nō quidem ipsi naturæ materialiter,

ter,

ter, & ſpecificatiuè ſumptæ, ſed formaliter , & reduplicatiuè quatenus cognitæ actu confuſo, ex vi præciſionis formalis aduenit naturæ Vniuerſali, quæ proindè quatenus talis dici poteſt complexum eſſentialiter conſtans ex indiuiduis realibus, & ex actu confuſo attingente talia indiuidua: Ex quo ſequitur, quod quoties D. Thomas tribuit nomen formæ cognitioni factiuæ Vniuerſalis id intelligendum eſt non reſpectu naturæ, ſed reſpectu talis complexi; vt à ſimili dictum eſt de Ente rationis Chimerico.

96 Optima eſt diuiſio Vniuerſalis in quinque Prædicabilia, Genus ſcilicet, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens; & deſumpta eſt non ex ipſis naturis, quæ prædicãtur, alioquin infinita eſſet varietas Prædica-

dicabilium, sed ex diuerso modo, quo prædicantur. Cùm igitur Natura possit prædicari de alio vel essentialiter, vel accidentaliter; & si essentialiter, vel tamquam tota essentia, vndè fit Species: vel tamquam pars essentiæ communis, vndè fit Genus, vel tamquam pars essentiæ propria, vndè fit Differentia: si verò accidentaliter, vel tamquam aliquid inseparabile ab essentia, vndè fit Proprium, vel tamquam aliquid commune, & separabile, vndè fit Accidens, manifestè sequitur, sapientissimè factam esse hanc diuisionē, nec quidquam minui, aut addi posse quinque Prædicabilibus: Et quidem ijs addi non potest. Indiuiduum vagum, quia non est verum, & proprium Vniuersale, cùm illi adiungi non possit terminus communis, *Omnis*,

aut

aut *Nullus*, dicendo v.g. *Omnis quidam Homo, nullus quidam Homo*, non Existentia, Subsistentia, Ens, Bonum, & cętera transcendentalia, quæ reducuntur, vel ad Genus, vel ad Speciem; Non denique Prædicabilia Assumptiua, quæ ex vi Incarnationis Dominicæ quidam asserunt resultare in ijs Prędicationibus *Deus est Homo, Filius Dei est Homo*, in quibus natura substantialis assumpta prædicatur de Persona assumente. Non inquam, concedi possunt hæc noua Prædicabilia, quia huiusmodi prędicationes verè dici possunt accidentales Logicè, quatenus persona asſũpta est omninò extrà conceptũ personæ assumentis, & sic spectabunt ad quintum Prædicabile Logicum, vel si sint prædicationes essentiales, & substantiales, (vt cõmuniùs volunt Theologi

logi propter vnitatem ſuppoſiti) dicendum eſt id verum eſse Phyſicè, non Logicè, quantumvis enim ſuppoſitum ſit vnum, ſemper tamen verum eſt, quod Perſona aſſumpta eſt extrà conceptum Perſonę aſſumentis; Niſi velimus ex hoc modo prædicandi re vera agnoſcere nouum prædicabile, quod (vt ait P. Auerſa) non ex Philoſophia, ſed ex doctrina Fidei cognitum nullum eſt abſurdum concedere.

97 Genus eſt *id, quod prędicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid.* In eo tria conſiderari ſolent; Primò perfectio eſſentialis v. g. quod animal ſit ſubſtantia corporea, viuens, ſenſibilis, &c. Secundo perfectio, quam accipit à ſpeciebus. Tertio Vniuerſalitas, quam habet per ordinem ad Species. Quòad perfe-

ctionem intrinsecam, & essentialem conseruari posset in vnica specie: ex.g. in solo Homine conseruari posset tota perfectio intrinseca animalis, quatenus de illo verè prædicaretur, quod sit principium sentiendi. Similiter quòad Vniuersalitatē conseruari posset Genus in vnica specie, dummodò aliæ saltem diuinitùs essent possibiles, nam ad Vniuersalitatem non requiritur existentia actualis pluriū, sed sufficit possibilitas eorumdem; vt patet in Sole, & Luna, de quibus re vera formari possunt Propositiones Vniuersales. Quòad perfectionem denique, quam Genus accipit à Speciebus non potest cōseruari in vnica tantùm earum; quia vna species non potest continere in se differētias essentiales omnium, à quibus omnes illæ perfectiones

nes proueniunt; sunt enim essétialiter diuersæ, ac proindè in vna, & eadem specie vniri non possunt; Propter prædictas rationes etiam species conseruari potest in vno indiuiduo; sed vlterius etiam quòad perfectionem, quam species accipit ab indiuiduis. Ratio est, quia tota perfectio intensiua speciei reperitur in vnico Indiuiduo; neque enim per differentiam Indiuidualem essentia fit magis perfecta; alioquin indiuidua eiusdem speciei differrent in perfectione intrinseca, quod repugnat. Diximus *perfectio intensiua*, quia si sumatur species *extensiuè* quòad omnia, quæ includit extrà intellectum sine dubio in vnico indiuiduo saluari non potest, quia vt sic dicit multitudinem indiuiduorum, quæ in vno esse non potest.

98 Species eſt *id, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quid:* pluribus inquam, non actu; ſed ſaltem potentia; qua ratione Sol, & Luna ſunt veræ ſpecies. Differentia numero ſunt ipſa indiuidua, quæ ſumi poſsunt dupliciter. Vel primò intentionaliter, ſeu Phyſicè ſecundùm id, quod habent à parte rei. Vel ſecuudò intentionaliter ſecundùm id, quod habent per intellectum. Indiuiduum primo modo ſumptum eſt id, cuius proprietatum collectio his carminibus expreſſa

Forma, Figura, Locus, Tempus, cum Nomine, Sanguis,
Patria, ſunt ſeptem, quæ non habet vnus, & alter,

numquam in alio eadem erit. Indiuiduũ autem ſecundo modo ſumptum eſt id, quod de vno ſolo particulari prædicatur. Indiui-

diuiduum vagum datur in solo intellectu. Definitur res certa, determinata, ac singularis, quæ ex vi cognitionis proprio termino demonstrari non potest. Attingitur ab intellectu Diuino ex. g. posito quod Deus præcipiat offerri sibi sub disiūctione par Turturum, aut duos pullos Columbarum, cognitio clarissima Dei debet necessariò cognoscere, ad non peccandum contra hoc pręceptum requiri vel oblationem Turturum, vel Columbarum. Similiter cognoscit Deus se posse producere Petrum cum hoc, vel illo vbi, hoc, vel illo tempore, &c. ergo in intellectu Diuino dantur indiuidua certa, ac singularia, quæ tamen proprio termino designari non possunt. Siquis autem dicat repugnare Intellectui Diuino disiunctionem. Re-

ſpondemus hanc duplicem eſſe. Claram aliam,aliam confuſam. Confuſa eſt, quando ex ignorãtia neſcit quis diſcernere inter vnum, & alium; vt ſi quis diceret. Aliquis Sanctus pro me orat. Clara eſt quæ licèt apertiſſimè cognoſcat obiecta, quia tamen ipſa obiecta indeterminatè requiruntur ad aliquid; ideò ſub diſiunctione affirmantur, vt patet exemplis allatis. Prima diſiunctio Deo repugnat, non ſecunda.

99 Differentia eſt *id, quod prędicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid*. Non diſtinguitur realiter à genere, vt de diſtinctione inter gradus Metaphyſicos probabitur ſuo loco. Eius variæ diuiſiones in communem,propriam, & proprijſſimam:in genericam,ſpecificam, & indiuidualem; in diuiſiuam

ge-

generis, & constitutiuam speciei;in subalternam denique, & infimam ex Doctrina Porphirij clarissimè habentur integro capite.

100 Proprium pluribus modis accipi potest. Primò pro eo, quod conuenit soli;sed non omni; vt Geometria solius Hominis est, quia nemo est Geometra præter Hominem; sed non quilibet Homo est Geometra. Secundò pro eo, quod conuenit omni; sed non soli; vt sanitas, quæ omnibus hominibus inesse potest, & preterea Animalibus. Tertiò pro eo, quod conuenit omni soli; sed non semper vt canities,quæ conuenit omni,& soli homini; sed tantùm in senectute. Quartò denique pro eo, quod conuenit omni soli, & semper: vt risibilitas respectu Hominis. Et hoc constituit

quartũ Prædicabile diſtinctum à reliquis, *quod* nempe *prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, vel numero in quale accidentale necessario*.

101 Vltimum omnium Prędicabilium eſt Accidens. Definiri ſolet, *quod poteſt adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem*. Idq; intelligendum, non de abſentia Phyſica, & reali, ſed de Metaphyſica ſaltem, & per Intellectum: Qua ratione etiam Accidentia inſeparabilia verè ſunt Accidentia: quia licèt realiter à ſubiecto abeſſe non poſſint, poſſunt tamen per intellectum. Eſſentia Accidentis benè ſaluatur in aptitudinali inhęſione: vt probabitur in Metaphyſica, & pro nunc ſupponendum eſt tamquam certiſſimum ex ſacroſancto Myſterio Altaris. Provt autem conſtituit diuerſum

ſum Prædicabile à reliquis defi-
niri ſolet. *Id, quod prædicatur de
pluribus differentibus ſpecie, vel nu-
mero in Quale accidentale,
contingenter.* De Prę-
dicamentis la-
tè in Phi-
lo-
ſophia.
(·.·)

ASSERTIONVM DIALECTICARVM

Liber Quartus.

DE INTERPRETATIONE.

102 VOces earum, quæ sunt in anima passionum notæ, non habent vim naturalem significandi, sed Moralem tantùm ab extrinseco Hominum consensu, tamquam signa rerum arbitraria, & ad placitum; idq; non est intelligendum de significatione vniuersali, qua ratione præter se ipsas significant

etiam

etiam naturaliter ipsum profe-rentem saltem in communi; neque de vocibus inarticulatis; vt sunt gemitus,& suspiria, quę naturaliter exprimunt animi affe-ctus; sed solùm de vocibus articulatis, earumq; significatione propria,& particulari,quæ certè naturalis esse non potest: cùm non eadem sit apud omnes; vt dicitur de ijs, quæ sunt â natura;sed iuxtà populorum diuersitatem, eorumq; placita varietur, quo pacto frequentissimè etiam variantur pretia,& pecuniæ valor solo vulgi, aut Principis nutu, proinde non naturalis.

103 **Licet autem similitudinē quamdam,& proportionem seruent cum rebus ipsis particularia vocabula; vt sunt tinnitus, crocitatio,& id genus;nihilominus hæc similitudo,& proportio**

non eſt Phyſica quaſi à natura ipſa indita ſit ipſis vocibus;alioquin his auditis, Homo cuiuſcumque regionis deueniret ſtatim in cognitionem rei occultæ per talem vocem ſignificatæ: ſicut audito gemitu, vel ſuſpirio gens quælibet agnoſcit internũ dolorem;ſed eſt proportio,& ſimilitudo quædam moralis conſiſtens in hoc, quod Homines in prima vocum impoſitione non temerè, & caſu,ſed cum rationabili fundamento illas excogitauerint: vt patet in vocibus, mel, aſperitas, lenitas, quæ valdè conformantur rebus ſignificatis: iuxtà illud D. Auguſtini 6. ſuæ Dialect. *Ipſum lene cum dicimus leniter ſonat:quis item aſperitatem, vel ipſo nomine aſperam non iudicet? Mel quàm ſuauiter guſtum res ipſa,tam ſuauiter nomen tangit auditum.* Idq; pruden-

ti Hominum consilio factum est, qui imposituri nomina rebus aspexere ipsas naturas, ijsq; consimiles voces adinuenerunt, liberi omninò vt opposita prorsus nomina imponerent, si placuisset.

104 Cùm autem in prolatione vocum duo potissimum interueniant:& res ipsa,quæ significatur per talem vocem; vt aurum, flos, Homo: & conceptus Mentis, quo proferens interiùs cognoscit id, quod exteriùs pronunciat, vtrumq; hoc significatur per voces; principaliter quidem, & immediatè res ipsæ; secundariò verò conceptus. Dum enim quis loquitur principaliter res ipsas manifestare vult; vt patet in Mercatore poscente pecuniam, & paupere emendicāte. Secundariò autem, & minus principaliter suos mē-

tis

tis conceptus quatenus audiens cognoſcit eum loqui modo diuerſo à Pſittacis, ac proinde per internos conceptus: quos ſanè in particulari nullatenus cognoſceret, niſi res ipſas, circa quas verſantur primariò perciperet. Cæterùm, ſi conceptus Mentis principaliter importarentur per voces, plures propoſitiones eſſent falſę: vt ſi quis diceret *Iudas fuit proditor*, *Aurum eſt metallum*, *Ignis elementum*, &c. fieret ſenſus, quòd *conceptus Iudæ fuiſſet proditor, conceptus auri metallum, conceptus ignis elementum*, &c. quę falſiſsima ſunt, & penè ridicula.

105 Rem optimè explicat Ariſtoteles 1. Elench. c. 1. docens ideò nos vti nominibus pro rebus tamquam ſignis, *quia fieri non poteſt, vt res ipſas ferentes diſputemus; quemadmodùm faciunt*

ij, qui calculis supputant, vel fabis ludunt; quæ verba indicant res ipsas principaliter importari in prolatione vocum, quæ ex eo quòd subrogentur loco conceptuum confirmant magis significationem suam primariam ipsarum rerum; nam sicuti Legatus Gallus subrogatus priori Legato nō hunc, sed Regem suum repræsentat, pro quo vterq; Legatus substituebatur; Ita Voces substitutæ loco conceptuum nō hos, sed res ipsas, pro quibus & voces, & conceptus stant, principaliter importare debent. Hoc autem conuenit etiam ijs vocibus *Intellectio*, *Cognitio*, *Conceptus*, &c. licèt ab aliquibus excipiantur; vox enim v.g. *Conceptus* duo importat: nempe ipsam entitatem actus, quæ habet rationem rei, licèt intra intellectum; & quod Entitas talis actus sit

con-

conceptus loquentis diuersificans locutionem eius à locutione Psittaci. Primum principaliter significant dictæ voces. Secundum consequenter,& secundariò.

106 Scriptura characteribus proprijs alicuius Idiomatis distincta immediatè, & proximè significat voces, mediatè verò, & principaliter res ipsas. Primũ patet,tum ex Aristotele hic docente *Scripturas esse signa vocum*. Tum quia legendo scripturam potest quis percipere voces,non res. Tum deniq; quia Homines tacitis oculis delibant paginas scriptas,& sicut percurrunt exaratas dictiones; ita proferunt mente ipsas voces per conceptus internos immediatè excitatas. Secundum etiam ostenditur, quia Finis scripturæ est res ipsas principaliter notas facere:

vt patet in quotidianis Epiſtolis de rebus,& negotijs conſcriptis. Si quis autem ſcriptura vtatur, vt vel voces ſuas, vel conceptus principaliter oſtendat, id eſſet per accidens, & non ex primaria inſtitutione, vt in pluribus alijs contingere ſolet.

107 Hieroglyphicis, numeris, & arbitrarijs notis immediatè res ipſæ ſignificantur. Ratio eſt, quia modus iſte ſcribendi habet potius rationem picturæ, quàm delineationis vocum, aut litterarum; pictura autem Cęſaris v. g. ipſum Cæſarem immediatè exprimit, non verò voces, quibus ipſe Cæſar exprimi ſolet. Similiter ſi quis in in codice Hiſpano ſcriptum videret inter alias voces Hiſpanicas numerũ 20. ſtatim intelligeret rem ipſam ſignificatam per talem numerum, & tamen nihil ſciret de

voce

voce Hispanica, qua talis numerus exprimi solet: ergo signum est numeros,& alia id genus immediatè importare res ipsas, non voces. Quod si quis scriberet hanc vocem *Decem* veniret quidem statim in cognitionem vocis, qua explicatur hic numerus 10: Ex hoc tamen nihil sequitur contra nos; quia cum numeri dupliciter scribi posśint vel per litteras extensas, & apices Alphabetarios vt *Decem*, vel per litteras numerales, vt 10. dictum nostrum procedit de numeris secundo modo scriptis, non primo. Idem dicendum est de notis arbitrarijs, quarum aliquæ purè significant voces: vt sunt litteræ compendiariæ, & de ijs non loquimur. Aliæ immediatè exprimunt ipsas res v.g. A, significat Turcam, B, Regem Galliarum, C, Pontificem,

cem, & similia; de his autem; non de primis; vt supra conclusum est.

108 Voces ergo secundariò saltem, & minus principaliter exprimunt internos actus, quorum ingens multitudo triplici intellectus operatione: Apprehensione scilicet, Iudicio, & Discursu collecta fuit. Prima, modo dicitur simpliciter simplex, & habet pro obiecto simplicissimum Terminum. Modo simplex secundum quid, vt cum attingit integram Propositionem: non enim est imaginandũ, quod fiant tres apprehẽsiones distinctæ in Apprehensione Propositionis prolatæ ab Hæretico v.g. *Deus non est vnus*, quarum Prima terminetur ad subiectum, Secũda ad copulam, Tertia ad Prædicatum; Quia etiam si primò apprehendatur *Deus*, deinde,

non est; nihilominus Apprehensio copulæ indiuisibiliter attingit vtrumq; extremum:quia copula est essentialis respectus ad illa, & essentialiter est alicuius copula. Neq; obstat,quòd integra Propositio constet ex pluribus vocibus, quasi etiam actus internus, cui ipsæ substituuntur, debeat esse conflatum ex pluribus actibus. Facilè enim occurrimus dicendo,non esse necesse, vt omnis compositio, & distinctio,quę est in vocibus externis, sit etiam in actibus internis: vt patet in actu Iudicij indiuisibiliter attingentis,quæ nonnisi per plures voces exprimi possunt. Ad illud autem, quod innuitur, voces substituuntur loco conceptuum, distinguimus. Substituuntur rigorosè, & quòad numerum, itavt quot sunt voces, totidem sint mentis conceptus

negamus. Proportionaliter, & quòad significationem; itavt quælibet vox siue vna, siue plures ad modum vnius, efficiat exteriùs id, quod interiùs præstant conceptus, concedimus. Instantia est manifesta in Legato, qui substituitur loco Principis non rigorosè; itavt totidem debeant esse Principes, quot Legati; aliquando enim ab vno, & eodem Principe plures mittuntur; sed proportionaliter; itavt, quotcumq; ij sint indiuisibili Legatione eumdem Principem repræsentent.

109 Veritatem simplici Apprehensioni omnes concedunt. Quo stante illi denegari non potest opposita falsitas: hæc .n. nihil est aliud, nisi complexum quoddam ex apprehensione, & obiecto, quod in esse reali non sit sicut repræsentatur. Sed quā-
do

do simpliciter *Alius Deus*, *Chimera*, & quodcumque aliud obiectum impossibile nihil affirmando, vel negando verè fit complexum ex Apprehensione, & obiecto, quod in esse reali nō est sicut repræsentatur; ergo &c.

Et sanè siquis apprehendēs Petrum esse Hominem, dicitur apprehendere verum; quidni dicetur apprehendere falsum concipiens Petrum non esse Hominē, cum ex duobus contradictorijs alterum necessariò sit verum, alterum, necessariò falsum?

110 Dicunt: Apprehensio vel habet pro obiecto aliquid reale, vel aliquid fictum. Si aliquid reale; ergo non est falsa vt de se patet. Si aliquid fictum similiter non est falsa; quia illud fictum verè repræsentat, eiq; tanquam obiecto proprio verè conformatur. Respondemus hoc argumen-

mentum in terminis retorqueri posse in actu Iudicij. Vel enim actus Iudicij affirmans rem impossibilem habet pro obiecto aliquid reale, vel aliquid fictũ, si aliquid reale iam non est falsus: vt de se patet. Si aliquid fictum similiter non est falsus; quia illud fictum vere affirmat, & verè conformatur illi tanquam proprio obiecto: Iudiciũ enim habens pro obiecto aliquid fictũ, & affirmans illud, verè affirmat id, quod habet pro obiecto, ac proinde non est falsus; ergo ex obiectione sequitur neque in actu Iudicij dari falsitatem.

III Neque valet disparitas, audita inter disputandum: videlicet actum Iudicij fore falsum; quia Iudicium de se est ordinatum ad affirmandum, ac proinde ad repræsentandam rẽ provt est à parte rei; id quod non conuenit

uenit Apprehensioni simpliciter repræsentāti ac proinde attingenti rem, quam ante se habet in intellectu; non inquam, valet hæc disparitas, quia nulla est maior ratio cur Iudicium affirmando debeat necessariò attingere rem provt est à parte rei; Apprehensio verò eamdem simpliciter repræsentando non debeat illam attingere provt est à parte rei; cum tam apprehensio, quam Iudicium sint actus essentialiter cognoscitiui tanquam formales imagines obiectorũ, quæ in ratione præcisissima Imaginis, & repræsentationis formalis omninò conueniũt, ac proinde, si Iudicium quatenus repræsentatiuum formaliter potest esse falsum quia potest esse imago formalis rei, quæ in esse reali non sit sicut repræsentatur, etiam simplex Apprehensio po-

poterit esse falsa quia similiter potest esse imago formalis rei; quæ non sit in esse reali sicut repræsentatur. Quod autem Iudicium præter hoc quod est esse formalem imaginem repræsentatiuã rei, dicat etiam affirmationem, vel negationem hoc omnino impertinenter se habet ad veritatem, & falsitatem vt sic; Non enim dignoscitur Veritas, vel falsitas Iudicij ex ratione affirmationis vel negationis, cum possit tam Iudicium affirmatiuum, quam negatiuum esse verum, vel falsum, sed ex ratione conformitatis, vel difformitatis rei in esse reali; ergo signum est quod hæc conformitas, vel difformitas est prædicatum communius, antecedens rationem affirmandi vel negandi, ac proinde ab ea separabile vt contingit in prima Apprehensione.

112 Directè igitur ad Argumentum respondendum est Apprehensionem repræsentantem aliquid fictum vere esse falsam & quando dicitur verè repræsentat illud futura distinguimus Repræsentat *verè*, hoc est *conformiter ad obiectum in esse reali* negamus. Repræsentat *vere*, hoc est, *verum est quod simplex Apprehensiore præsentat aliquid fictum difforme sibi in esse reali* cõcedimus, & negamus consequentiam: sicut enim cum dicimus *Iudicium verè est falsum* per ly *verè* non fit sensus quod *Iudicium sit verum*; sed quod *verè sit falsum*; ita quando dicitur *Apprehensio verè repræsentat illud fictum* nõ fit sensus quod *Apprehensio sit vera*, sed quod *verè sit falsa*. Similiter cum dicitur conformatur illi rei fictæ tamquam proprio obiecto distinguimus,

con-

conformatur in esse cognito, & in intellectu concedimus, in esse reali, & à parte rei negamus. Hoc autem secundum necessario requireretur ad veritatem illius Apprehensionis: vt patet.

113 Iudicium est vnus simplicissimus actus indiuisibiliter attingens extrema, & vnionem; præsuppositis tamen vt conditionibus sine quibus non Apprehensionibus simplicibus Prędicati, & subiecti, & Apprehensione complexa copulæ. Probatur, quia in eo actu præcisè consistit iudicium mentale, qui determinatè repræsentat identitatem, seu vnionem prædicati cum subiecto v.g. Hominis cũ animali; nihil enim aliud est dicere: *homo est animal* e.g., nisi quod homo sit vnitus cum animali; sed actus qui attingit identitatem, seu vnionem præ-

dicati cum subiecto, v. g: Animalis cum Homine est omnino simplex, & vnicus, quia attingit istam vnionem, & non potest attingi vnio, nisi eodem actu attingatur etiam id, cuius est ista vnio; ergo iudicium est vnus simplicissimus actus.

114 Neq; hinc sequitur, Angelos data hac sententia intelligere enunciando, quippe quibus simplicissimi actus denegari non possunt. Respondemus enim Angelis denegari posse etiam actus simplicissimos, si non conformentur connaturali eorundem cognoscendi modo: Cęterum actus iudicij humani vtpote præsupponens actus apprehensiuos antecedentes non conformatur connaturali modo cognoscendi ipsius Angeli cognoscẽtis de se obiecta per proprias species nullis præsuppositis

tis Apprehensionibus, ideo Angelis merito denegatur.

115 Similiter non sequitur, saluari non posse quomodo ex vi enunciationis mentalis inducatur actualis distinctio rationis inter ea, quæ realiter sunt indistincta; cum enim distinguere per rationem vnum ab alio, sit cognoscere vnum, & nõ cognoscere aliud, iam ipse actus Iudicij; qui indiuisibiliter cognoscit vtrumq; nullam facit distinctionem. Respondemus iudiciũ mẽtale communiter dici compositionem, & licèt componi non possint nisi quæ sunt aliquo modo distincta, fortè non est necesse quod distinguantur ex vi illius actus, ex vi cuius componũtur; sed satis est per eum componi extrema distincta nõ quidem vt distincta, sed per modum vnius. Ex quo sequitur per

enunciationem mentalem non actu distingui, sed concipi extrema iam distincta per apprehensiones antecedentes. Quod si quis velit, ex vi eiusdē actus, quo componuntur extrema debere aliquo modo distingui; dicendum est huiusmodi distinctionem non consistere in eo quod concipiatur vnum nullo modo concepto altero; sed in eo quod licèt concipiatur vtrũque, ex partet amen vnius saltem explicitè non concipiatur illud idem, quod concipitur ex parte alterius; enunciatio enim vtpote cognitio non immediata, & intuitiua per proprias species, sed mediata, & abstractiua dependēs à pluribus speciebus, & apprehensionibus necessariò prærequisitis debet illud idem repræsentare, quod per dictas apprehensiones priùs repræsentaba-

cabatur, cum autem vna Apprehensio repræsentet Prædicatum vno modo, alia vero apprehensio alio modo repræsentet subiectum, idem dicendum est de iudicio.

116 Neque de absoluta potẽtia dari potest judicium affirmatiuum simul, & negatiuum; einsdẽ rei alioquin intellectus posset simul assentiri obiecto euidenter falso, & dissentiri obiecto euidenter vero; si enim v.g. dicit *Petrus currit*, iam cursus Petri ei proponitur vt verus; si verò simul & semel diceret *Petrus non currit* iam dissentiretur cursui Petri proposito sibi vt vero quod implicat, sicut implicat, quod persuadeat sibi re vera esse, id quod re vera cognoscit non esse; ideo &c.

117 Dicunt: voluntas potest simul velle, & nolle idem obie-

ctum: vt patet ex eo dicto *vult, & non vult piger*; ergo etiam intellectus potest simul affirmare, & negare idem obiectum. Respondemus negãdo Antecedens si loquamur de volitione, & nolitione efficaci: vt suo loco. Quod si loquamur de volitione, & nolitione inefficaci concesso Antecedenti negamus consequentiam: & disparitas est quia quando quis inefficaciter vult obiectum nõ supponitur habere motiuum, quod omnino determinet illum ad volẽdum; sed supponitur habere motiuum quoddam mistum, & de se indifferens tam ad volitionem, quam ad nolitionem inefficacẽ; at verò quando intellectus affirmat aliquid non supponitur habere motiuum mistum, & indifferẽs; alioquin stante hac indifferentia motiui nũquam de-

terminatè assentiretur; sed supponitur habere motiuum omnino determinans ad assensum, ac proinde nullum locum relinquit ad actum oppositum.

118 Ratio autē huius disparitatis est quia motiua voluntatis sunt bonitas, vel malitia, quæ non consistunt in indiuisibili; sed suscipiunt magis, & minus; ideoq; potest dari motiuum repræsentans voluntati aliquid tātum malitiæ, & aliquid tantum bonitatis, quæ sit in obiecto, & per consequens actus volitionis inefficacis eo ipso quod non est ex motiuo repræsentante totam bonitatem obiecti, secum compatitur actum oppositum nolitionis procedentis similiter ex motiuo, quo non repræsentatur tota malitia eiusdem: sicut motiuum ipsum statim ac repræsētat totam bonitatem obiecti

compatitur secum aliud motiuum non repræsentans similiter totam malitiam. At verò motiua actuum Intellectus sunt veritas, & falsitas, quæ consistũt omninò in indiuisibili, nec suscipere possunt magis, vel minùs, & consequenter si repræsentatur intellectui obiectum vt verum, ita ille determinatur ad assentiendum, vt implicet relinqui locum ad actum oppositum.

119 Sed insurgit P. Ouiedus Contr.6. de Anima Punct.3. ratione secundùm aliquos satis valida, quæ ex omnibus eius fundamentis ita cõstrui potest. Intellectus cognito obiecto euidenter vero necessario determinatur ad iudicium affirmatiuum; ita vt non possit elicere negatiuum: quia neq; à se ipso, neque à voluntate, neq; ab vlla

causa

causa secunda potest determinari ad tale Iudicium negatiuũ, supposito affirmatiuo: sed etiam si Intellectus, neq; à se ipso, neque à voluntate, neque ab vlla causa secunda possit determinari ad Iudicium negatiuum, supposito affirmatiuo; potest tamẽ determinari à Deo etiam contra naturalem sui exigentiam, ergo repugnantia Iudicij affirmatiui, & negatiui nulla est respectu Dei. Probat Minorem, quia Deus potest producere in quocumq; Intellectu Iudicium affirmatiuum independenter à quacumq; alia causa secunda alioqui determinante illũ quando naturaliter cognoscit, vt omnes supponunt. Tum sic argumentatur: Posito quod intellectus de facto sit in Iudicio negatiuo circa aliquod obiectum, & Deus velit producere in illo

Iudicium affirmatiuum circa idem obiectum independenter ab omni causa secunda; nihil est, quod obliget Deum ad destruendum in illo intellectu Iudicium negatiuum antecedenter elicitum, aut ad subtrahendum concursum, quo priùs illud conseruabatur; quia reuera vtrumq; Iudicium est actus positiuus, sicut quia calor, & frigus in summo, & duæ formæ substantiales sint duo Entia positiua nō est necesse, quod Deus producto vno ex his, aliud destruat, sed in eodem subiecto, & in eadem Materia posset conseruare vtrumq; : vt constat ex Physicis; ergò etiam poterit Deus conseruare in eodē intellectu vtrumq; Iudicium, & consequenter determinare illum ad Iudicium affirmatiuum, ad quod supposito negatiuo neque à se, neq; à volun-

luntate, neque ab vlla causa secunda poterat determinari.

120 Respondemus intellectũ ex vi motiui euidenter veri necessariò determinatum ad Iudicium affirmatiuum, neq; à Deo posse determinari ad Iudicium negatiuum. Ratio est, quia Diuina hęc determinatio alio modo nequit intelligi, nisi per hoc, quod Deus per se ipsum producat tale Iudicium negatiuum, relicto in eodem intellectu affirmatiuo, quod destrui deberet: sed implicat Deum producere in aliquo intellectu Iudicium negatiuum relicto affirmatiuo, ideo, &c. Minor probatur, quia dupliciter potest intelligi, Deum producere actum vitalem in alio. Primò itavt talis actus nullo modo illi tribuat suum effectum formalem, nec denominet cognoscentem, sed

præ-

præcisissimè sit in illo tamquam in subiecto obedientiali naturaliter alioquin improp ortipnato: eo modo, quo visus, vel actus Iudicij positus in pariete non denominaret parietem videntem, aut iudicantem, & hoc modo, esto, poni possit à Deo Iudicium simul affirmatiuum, & negatiuum in eodem intellectu, sicut fortè poni possunt in lapide, & de facto ponuntur in voce: at quæstio nostra non procedit in hoc sensu, & ridiculum esset reuocare Difficultatem grauissimam ad has nugas, videlicet, an Deus possit ponere in intellectu hæc duo Iudicia contradictoria, sicut ponere potest in lapide. Secundo modo potest produci à Deo actus vitalis in alio; ita vt illi tribuat suum effectum formalem, & verè denominet cognoscentem, quo sensu con-

constantissimè negandum est posse à Deo produci in eodem intellectu hæc duo Iudicia contradictoria propter virtualem contradictionem in illis inclusam,& in probatione explicatã; & per consequens neq; à Deo posse determinari intellectum ad Iudicium negatiuum supposito quòd habeat affirmatiuum.

121 Quando autem dicitur Vtrumq; Iudicium est actus positiuus. Respondemus ex eo præcisè, quod duo Entia sint positiua non statim inferri posse à Deo quomodocumq; produci vnum ex his absq; eo,quod necessitetur ad destruendum aliud: nam currere, & sedere sunt duo effectus positiui, & tamen neque à Deo simul possunt produci in eodem corpore. Similiter natura Hirci, & natura Cerui sunt duæ positiuæ Entita-

tes,

tes, & tamen neq; Diuinitus in vno, & eodem Hircoceruo possunt vniri. Denique præter alia infinita creare, & destruere sunt duæ actiones positiuæ, & tamen in vno, eodemque agente pro vno instanti esse non possunt. Ratio est, quia sunt plurimæ essentiæ rerum, quæ licet positiuę in se ipsis virtualiter tamen, & consecutiuè dicunt contradictionem; vt sunt omnia Entia rationis Chimerica, quæ quantumvis composita ex naturis positiuis, dicũtur tamen virtualiter contradictoria, & ideo neque per Diuinam omnipotentiam produci possunt. Hæc autem virtualis contradictio (vt radicitùs tangamus difficultatem) consistit in hoc, quòd licèt actus affirmãdi, & negandi sint positiuæ Entitates, & per consequens non habeant immedia-

tam,

tam, & formalem contradictionem, quæ inter duo positiua esse non potest: nihilominus vera contradictio immediata, & formalis ex eorũ positione sequatur: vt certè sequeretur si intellectus eamdem rem affirmaret simul, & negaret: quia intellectus affirmans iudicaret rem esse, quam verè cognoscit non esse; negans verò iudicaret rem non esse, quam verè cognoscit esse. Rem autem esse, & non esse sunt immediatè, proximè, ac in terminis ipsis contradictoria.

122 Neq; valet dicere rem esse ex vi affirmationis, & non esse ex vi negationis, non esse contradictionem, quia affirmatio, & negatio nihil ponunt in esse realiter, & Physicè, neque enim ex eo quòd quis dicat *Petrus currit*, *Petrus non currit*, Petrus illico à parte rei re vera currit,

rit, & re vera non currit; sed solùm intentionaliter, & in intellectu, quod nihil est. Respondemus enim, præterquamquod contradictio etiam in intellectu implicat; tam enim contradictoria sunt *esse, & non esse realiter*, quàm *esse, & non esse in intellectu*: vt ex ipsis terminis patet. Respondemus, inquam, sequi etiam contradictionem à parte rei, affirmatio enim, & negatio licèt nihil ponant in esse realiter, & Physicè per modum causæ efficientis, & productiuæ; ponunt tamen aliquid in esse realiter, & Physicè per modum causæ formalis, & repræsentatiuæ; quatenus affirmatio, & negatio sunt cognitiones terminatæ ad esse Physicum, & reale, illudq; Physicè, & realiter repræsentant. Et per consequens si hic actus *Petrus currit* termina-

natur ad curſum realem, & alter actus *Petrus non currit* terminatur ad negationem curſus realis iam ex vi horum actuum ſequitur contradictio à parte rei curſus,& non curſus Phyſici, & realis,quod implicat. Ad illud de calore, & frigore in ſummo, & de duabus formis ſubſtantialib. ex dictis patet reſponſio:re vera enim poſſunt eſſe ſimul, quia & poſitiuę Entitates ſunt, & nullam dicunt contradictionem, vel virtualem.

123 Veritas, & Falſitas Iudicij, ſeu Propoſitionis mentalis non eſt prędicatum adæquatè intrinſecum ipſi: alioquin Angelus, qui clariſſime penetrat eſſentiam huius Propoſitionis, v.g. *Petrus cras peccabit*, modò infallibiliter cognoſceret veritatem huius actus,& naturaliter præuideret futura libera, quod

ta-

tamen apertissimè est falsum; siquidē pręscientia est solius Dei iuxtà illud, *Annunciate quæ ventura sunt, & sciemus quia Dij estis vos.* Et Ratio vlterius est, quia in actu formaliter vero, seu repræsentante obiectum, vt est in se duo necessariò consideranda sunt. Primum, quòd sit ratio repræsentans formaliter tale, vel tale obiectum: idq; cùm sit cōmune tam actui falso, quàm vero; quia vterq; est repræsentatio formalis sui obiecti: est Prædicatum intrinsecum, & essentiale cuilibet actui, qui per suam essentiam est repręsentatio formalis obiecti. Hæc tamen repræsentatio vt sic præcisè non dicitur Veritas, quia etiā actus falsus est repręsentatio formalis; vt diximus. Secundum, quod sit repræsentatio formalis obiecti, vt est in se: & in hoc consistit con-

conformitas ipsius repræsentationis cum obiecto: estque aliquid extrinsecum actui vero: quia dicit coexistentiam obiecti omninò extrinsecam, vt de se patet. Fauet Aristoteles celebri illo Axiomate, *ex eo quòd res est, vel non est Propositio dicitur vera, vel falsa.* Quibus verbis clarissimè docet Philosophus veritatem Propositionis contingẽtis non esse prędicatum adæquatè ipsi intrinsecum; sed partim intrinsecum, partim extrinsecum, vt consideranti patebit.

124 Dicunt: Actus verus essẽtialiter est perfectior actu falso: alioquin posset conuenire Deo tam actus falsus, quàm verus; ergo veritas, & falsitas sunt prædicata adæquatè intrinseca ipsis actibus. Respondemus distinguendo Antecedens Actus verus est perfectior falso perfectio-

ne

ne entitatiua, & intrinseca negamus. Perfectione extrinseca, & morali concedimus. Ex quo nihil sequitur contra nos, sicut nec sequitur quod actus falsus posset conuenire Deo; quia licet actus falsus eamdem perfectionem habeat entitatiuã, & Physicam, ac actus verus; habet tamen adnexam ignorantiam rerum, quatenus illas repræsentat aliter ac sunt in se, quæ Deo cõuenire non potest.

125 Instant: si veritas nihil aliud est quã cognitio, & obiectum sine noua perfectione essentiali se tenente ex parte ipsius cognitionis, sequitur quod veritas cognitionis Diuinæ non sit perfectior veritate cognitionis nostræ; vtraq; enim dicit entitatem actus, & respicit extrinsecè ipsum obiectum: Consequens est falsum; ergo &c. Respon-

ſpondemus diſtinguendo maiorem. Sequitur quod veritas cognitionis Diuinæ non ſit perfectior veritate cognitionis noſtræ extrinſecè, & Logicè cōcedimus. Intrinſece, entitatiuè, & Phyſicè negamus. Nullum autem eſt abſurdum quod ſicut Deus ſub denominatione Logica Regis, vel Domini vt ſic præcisè non ſit perfectior Rege, vel Domino terreno, dummodo Phyſice, & entitatiuè infinitam perfectionem in ſe contineat: Ita neque erit abſurdum quod ſub hac præciſa denominatione veri actus Diuinus non ſit perfectior humano; dummodo in entitate Diuinorum actuum ſit infinita perfectio. Idque etiam clarius explicatur exemplo Hominis, & Formicę; nam ſi ex vna parte dentur duo Homines, ex alia duæ Formicæ; illi duo Homi-

mines non sunt magis perfecti duabus Formicis in rationem binarij; tam enim illi sunt duo Homines, quam istę duæ formicæ, licèt Physice, & entitatiuè homines sint longe perfectiores Formicis: ita &c.

126 Sequitur hinc, Propositionem contingẽtem semel veram eamdem numero inuariatam posse reddi falsam, & è contra. Probatur tum ex Aristotele vbi clarissimè docet hanc Propositionem *Sortes sedet* esse veram ipso sedente, falsam ipso surgente. Tum etiam quia si quis per integram Horam continuaret hanc Propositionem *Petrus currit*, & in prima medietate horæ Petrus curreret in secunda non curreret iã talis Propositio modò esset conformis, modò difformis suo obiecto, quia secundum diuersas partes eius-

eiusdem horæ modo respiceret cursum, modo non cursum Petri: ergo modo esset vera, modò falsa. Tum denique quia actus per horam continuatus æquiualet pluribus actibus, qui in eadem hora fieri possunt; sed supposito quod Petrus in vna hora modò currat, modo non currat, & fiant distinctæ propositiones affirmantes cursum Petri, ex illis altera erit vera, altera falsa, ergo idem dicendum est de vnica Propositione multis æquiualente.

127 Obijciunt. Variato obiecto, variatur & Propositio; sed in dicto casu variatur abiectum nempe cursus Petri; ergo non erit idem actus; sed duplex. Respondemus obiectum cuiuscũque Propositionis dupliciter variari posse vel *in esse rei*, vel *in esse obiecti* e.g. si Petro viuo quis di-

cat *Petrus est Animal rationale* in hoc casu Petrus habet & esse rem, & esse obiectum. Si vero Petro mortuo quis dicat *Petrus est animal rationale* obiectũ huius propositionis esset variatum *in esse rei*, quia non amplius haberet actualem existentiam; non esset autem variatum *in esse obiecti*; quia illud idem, quod affirmatur de prædicatis essentialibus Petri viui, affirmatur etiã de prædicatis essentialibus Petri mortui. In casu ergo nostro variatur quidem obiectum *in esse rei*, at remanet semper idem *in esse obiecti*, ac proinde semper remanet idem actus, qui non nisi ad variationem obiecti reduplicatiuè, vt obiectum est, tolli potest.

128 Obijciunt secundo. Cursus Petri in secunda medietate horæ ita affirmatur sicut affir-

mabatur antea; sed antea affirmatus verificabat Propositionem, ergo etiam post. Respondemus distinguendo maiorem affirmatur sicut affirmabatur antea ex parte terminorũ concedimus ex parte obiecti consignificati negamus. Propositio, quæ affirmat rem in tempore, quamquam directè tempus non exprimat; indirectè tamen, vt aiunt, consignificat tempus: Vnde ista Propositio *Petrus existit*, etsi nullum instãs temporis determinet; ex modo tamen suo significandi consignificat tempus pręsens successiuè coexistẽs Propositioni: vnde idem significat hæc Proposito *Petrus existit*, ac *Petrus habet existentiam coexistentem Propositioni quamdiu durauerit* & quoniam Petrus potest habere coexistentiam Propositioni in pluribus instãtibus
 suc-

succeſſiue, inde fit ex vi illius termini *exiſtit* ſignificari quidẽ tempus præſens; ſed non determinatè inſtans, A, potius quam inſtans, B, Quando ergo dicitur *Petrus exiſtit in inſtanti, A*, eſt vera propoſitio quia in inſtanti, A, verè eſt Petrus, at cum continuatur eadem Propoſitio & in inſtanti, B, non eſt Petrus coexiſtẽs Propoſitioni, redditur falſa.

129 Obijciunt 3. In inſtanti, B, non eſt eadem Propoſitio; ſed alia; ergo &c. Probatur Antecedens. Non poteſt eſſe eadẽ Propoſitio, quæ nõ habet idem obiectũ in eſſe obiecti, ſed hæc Propoſitio in inſtanti, B, non habet idem obiectum in eſſe obiecti, quia in inſtanti, A, habet pro obiecto ſaltem conſignificato idem inſtans, B, quod certe in eſſe obiecti conſignificati diſtinguitur ab inſtanti, A, ergo in hac

hac Propositione variatur obie-ctum in esse obiecti. Respondemus negando Antecedens, ad cuius probationem distinguimus Maiorem. Non potest esse eadem Propositio, quæ non habet idem obiectum determinatum in esse obiecti concedimus; quæ non habet idem obiectum indeterminatum negamus. Propositio non potest esse eadem nisi tendat in idem obiectum, quod determinatè respicit: vt suo loco; benè tamen potest esse eadem Propositio, etiam si obiectum indeterminatè, & indirectè significatum non sit idē, & Afferimus huius rei clarissimum exemplum in Propositione ista. *Vnus Homo est in foro*, cuius vnusquisque homo est obiectum indeterminatum; quia nullum Hominem cum determinatione respicit. Verùm hæc

successiue, inde fit ex vi illius termini *existit* significari quidé tempus præsens; sed non determinatè instans, A, potius quam instans, B, Quando ergo dicitur *Petrus existit in instanti, A*, est vera propositio quia in instanti, A, verè est Petrus, at cum continuatur eadem Propositio & in instanti, B, non est Petrus coexistés Propositioni, redditur falsa.

129 Obijciunt 3. In instanti, B, non est eadem Propositio; sed alia; ergo &c. Probatur Antecedens. Non potest esse eadē Propositio, quæ nō habet idem obiectū in esse obiecti, sed hæc Propositio in instanti, B, non habet idem obiectum in esse obiecti, quia in instanti, A, habet pro obiecto saltem consignificato idem instans, B, quod certe in esse obiecti consignificati distinguitur ab instanti, A, ergo in

hac

hac Propositione variatur obie-ctum in esse obiecti. Respondemus negando Antecedens, ad cuius probationem distinguimus Maiorem. Non potest esse eadem Propositio, quæ non habet idem obiectum determinatum in esse obiecti concedimus; quæ non habet idem obiectum indeterminatum negamus. Propositio non potest esse eadem nisi tendat in idem obiectum, quod determinatè respicit: vt suo loco; benè tamen potest esse eadem Propositio, etiam si obiectum indeterminatè, & indirectè significatum non sit idẽ, & Afferimus huius rei clarissimum exemplum in Propositione ista. *Vnus Homo est in foro*, cuius vnusquisque homo est obiectum indeterminatum; quia nullum Hominem cum determinatione respicit. Verùm hæc

propoſitio ſemper eſt eadem ſi Petrus ſit in Foro, eadem ſi non ſit Petrus, ſed Paulus, eadem ſi loco Pauli ſit Franciſcus &c. ac proinde mutato quolibet ex ijs propoſitio remanet eadem quia non tendit in aliquē ex his determinatè; ſed indeterminatè Eodē modo propoſitio *Petrus exiſtit* eſt eadem intrinſecè inuariata etiam ſi mutetur inſtās, quod ipſa ſignificat: nam ex vi terminorum non ſignificat hoc inſtans determinatum potius, quam aliud; ſed tātum affirmat coexiſtentiam obiecti propoſitionis, quæ cum poſſit pluribus inſtantibus coexiſtere, inde fit per illam nullū determinatè affirmari. Quare hoc fixum hæreat tempus eſſe obiectum indeterminatum propoſitionis ſucceſſiuè ſignificantis inſtans præsēs ſibi non determinādo ex vi ter-

minorum, sed tantum ex positione sui instans illud, quod deinde determinatè simul cum obiecto verificat.

130 Obijciunt quarto. Tempus est obiectum indeterminatum Propositionis, ergo semper Propositio erit vera, vel semper falsa. Probatur consequentia quia, si hæc Propositio *Petrus currit* nō determinat potius primum instans, quam secundum facit hunc sensum *Petrus in aliquo instanti currit*, & per consequens vera est etiam si secundo instanti non currat. Respondemus ly *indeterminatum* dupliciter sumi posse. Primo sub disiūctione; ita vt significet hoc vel illud, & hoc modo tempus non est obiectum indeterminatum propositionis. Secundo abstractiuè; ita vt merè in communi se habeat absque eò quod de-

ſcendat ad vllum particularē determinatum, & hoc ſenſu tempus eſt obiectum indeterminatum Propoſitionis. Neque ex hoc ſequitur, Propoſitionem illam *Petrus currit* ſemper eſſe veram etiam in eo inſtanti, in quo non currit, quia non fit ſenſus *Petrum currere in aliquo inſtanti hoc, vel illo*, ſed in eo inſtanti, quodcumq; illud ſit, cui ipſa propoſitio ſucceſsiuè coexiſtit, & per conſequens cum Propoſitio coexiſtat inſtanti, B, in qua non eſt curſus, verè redditur falſa.

131 Propoſitiones de futuro contingenti nullam habent determinatam veritatem, quando à nobis proferuntur. Ita Ariſtoteles 1. Periherm. c. 6. Vbi expreſsè docuit, quod duæ propoſitiones contradictoriæ, v.g. *Nauale bellum erit, Nauale bellum non*

erit,

erit, non sunt determinatè veræ, vel falsæ, sed quasi suspensæ; Vndè fortè emanauit dictum illud, *De futuris contingentibus nulla datur determinata veritas.* Idem docere videtur S. Thomas 1. Periherm. lect. 13. vbi ait; *Cùm enim verum hoc significet, vt dicatur aliquid esse, quod est: hoc modo est aliquid verum, quo habet esse: cùm autem aliquid est in præsenti, habet esse in se ipso, & ideò verè potest dici de eo, quod est, sed quamdiu aliquid est futurum, nondùm est in se ipso: Vndè relinquitur, quod nullo modo potest de aliquo eorum determinatè dici, quod sit futurum, neque quod sit, vel non sit.* Similiter 2. 2. q. 171. art. 3. vbi ait: *Vltimus autem gradus est eorum* (idest obiectorum) *quæ procul sunt ab omnium hominum cognitione, quia in se ipsis non sunt cognoscibilia, vt contingentia futura, quorum veri-*

tas non est determinata; ergo ex mente D. Thomę futura contingentia nullam habent determinatam cognoscibilitatem, antequam sint, & per consequens nec veritatem. Et sanè, (vt benè discurrit Aristoteles loco citato) si propositiones de futuro contingenti essent determinatè veræ, vel falsæ tolleretur rebus omnibus contingentia, & omnia necessariò euenirēt. Si enim hodie determinatè verum est Petrum v.g. cras esse peccaturum: Petrus cras non poterit nō peccare, ac proindè necessariò peccabit. Nec respondere possunt Aduersarij hanc determinationem esse consequentem, ac proindè non opponi contingentiæ, cui opponitur sola determinatio antecedens. Contra enim est, quia si tempore antecedenti, in quo futura nondùm exi-

existunt, daretur eorum determinata veritas, hæc determinatio non posset esse consequens, & ex suppositione existentię eorum, quia in eo tempore antecedenti, in quo nondum sunt, non possunt supponi iam esse: ergo hæc determinatio esset omnino antecedens: ideoq; tolleret contingentiam.

132 Dicunt: Futura etiam quando non sunt, verè sunt futura: ergo si non habent entitatem, & cognoscibilitatem pręsentem, saltem habent futuram. Respondemus ex D. Augustino 10. Confess. c. 17. & 18. quod si respiciamus ad tempus, respectu cuius futurum non est præsens, nonnisi abusiuè dici potest *futurum est*, hoc enim perindè est, ac si dicatur *est erit*, quia scilicèt in tempore antecedenti nihil est rei futuræ, nisi negatio: vndè

tunc non eſt in ſe ipſo cognoſcibile; ſed erit cognoſcibile quando erit.

133 Dicunt ſecundò ; Res præteritæ, etiam quando non ſunt, habent propriam cognoſcibilitatem : ergo idem dicendum eſt de rebus futuris. Reſpõdemus hoc argumentum nimis probare; ſi enim non daretur maius fundamentum ex parte præteritorum, vt ſint cognoſcibilia, quàm ex parte futurorum inde probaretur, quod ſicut Angeli naturaliter cognoſcunt prçterita, cognoſcerent etiam futura. Quare inter præterita, & futura apertiſſima eſt diſparitas, quia nunquam fieri poteſt, vt res præterita non ſit præterita, ſicut aliqua res, quæ non neceſſariò, ſed contingenter futura eſt, poteſt non eſſe futura : ideò licèt in tempore ſubſequenti

prç-

preteritum in se ipso nihil sit, atque adeo tunc non possit determinare, vel mouere ad cognitionem sui, potest tamen tunc esse relicta aliqua eius species, vel vestigium, quo determinetur intellectus ad ipsius cognitionem. Vel saltem quia preteritum verè iam extitit in tempore præcedenti fuit iam positũ intra latitudinem, & sphęram obiecti determinatè cognoscibilis; atque adeo tunc potuit postulare, vel esse conditio, vt etiã tempore subsequenti, quando amplius non est, cognoscatur. At verò res contingenter futura in tempore antecedenti nondum posita est intra sphæram obiecti cognoscibilis: quia nondum existit, nondum determinata est ad vnum, neque in se, neq; in causa, & nullum existit vestigium eius: ideò, &c.

134 Sequitur hinc manifesta disparitas inter propositiones de præterito, ac propositiones de futuro: nam cum propositio de præterito consequatur ad obiectum suum, iam in tempore antecedenti necessariò debuit esse facta suppositio existentiæ, vel non existentiæ rei, quia quãdo erat tempus antecedẽs, tunc debuit vel esse res, vel non esse. Vndè Propositio de pręterito semper dicitur determinatè, aut vera, aut falsa, quia totum, quod includit eius veritas, vel falsitas iam debet esse completum. Propositio autem de futuro antecedit obiectum suum, & ideo non potest in eo tempore iam esse factus realiter sensus compositus, vel suppositio existentię: aut non existentię rei; quia nondum adest tempus subsequẽs, in quo fieri debet hæc suppositio; hinc

est,

est, quod in tempore antecedēti propositio neque potest dici determinatè vera, neque falsa.

135 Dicunt Tertiò: Prophetæ, & Christus Dominus per scientiā infusam certissimè futura cognoscebant, & nos etiam per fidem infallibiliter scimus aliqua futura, ergo futura vt futura sunt cognoscibilia. Respondemus distinguendo Antecedens: Prophetæ, & Christus Dominus cognoscebant futura secundariò, & per participationē scientiæ alterius, cui essent Physicè præsentia concedimus. Primariò, & independenter ab omni superiori illuminatione negamus. Prophetæ cognoscebant futura ex reuelatione Diuina, ad quod non erat necesse, vt futura essent determinatè, & actu prę̨sentia ipsis Prophetis; sed satis erat, quod essent actu prę̨sen-

tia Diuinæ ſcientiæ reuelanti.
Quare cognitio illa Prophetarũ
erat actu vera, non per ordinem
ad ipſa obiecta futura, quæ vt-
potè carentia veritate obiecti-
ua mouere non poterãt intelle-
ctum creatum, ſed per ordinem
ad præſentiam, quam habebant
illa obiecta primariò cognoſcẽ-
ti nempè Deo; idque commune
eſt omnibus cognitionibus ſu-
pernaturalibus, ſiue Propheti-
cis, ſiue de Fide, quarum veritas
non deſumitur immediatè per
ordinem ad coexiſtẽtiam obie-
cti futuri, quæ nulla eſt, ſed per
habitudinem ad Diuinam ſciẽ-
tiam reuelantem, cui futura ſunt
realiter præſentia. Et ratio eſt,
quia huiuſmodi reuelationes ſu-
pernaturales ſunt participatio
Diuinę ſcientiæ, eamq; neceſſa-
riò ſupponunt tamquam primã
radicem ſui, atq; adeò tamquã

mensuram propriæ veritatis.

136 Dicunt quartò; ergo propositiones de futuro numquam sunt veræ. Non antequam sit res futura, vt hactenus probatum est; non quando aderit ipsa res futura, quia tunc nõ aderit propositio, ergo, &c. Respondemus veritatem propositionis de futuro esse totum aliquod successiuũ essentialiter includens duo: nempè essentiam propositionis existentis tempore antecedenti: & existentiam obiecti futuri in tempore subsequenti. Quare propositio de futuro numquam est vera totaliter, adæquatè, & permanenter. Sed cum sit essentialiter in successione determinatam, & completam veritatem non habet, nisi res ipsa actu ponatur in tempore subsequenti; non quia in tempore subsequẽti sit tota veritas, quia in tempo-

re

re ſubſequenti certè nō eſt pars intrinſeca veritatis, hoc eſt, propoſitio, ſed quia tunc adeſt vltimum complementū eius, nempè ipſa poſitio obiecti.

137 Dicunt quintò: Inter cōtradictoria non datur medium: ergo de quocumq; obiecto, etiā antequam exiſtat, verum eſſe debet, aut quod eſt futurum, aut quod non eſt futurum. Reſpondemus, illud axioma verificari, quando verificatur, & ſupponitur ſubiectum illud, vel conditio, quam neceſſariò ſignificāt, vel includūt ipſa cōtradictoria. Quod ſi res aliter ſe habeat, nec erunt vera contradictoria, nec oportebit alterutrum eſſe verū, ſed erit fallacia ſimilis illi, quæ dicitur de ſubiecto non ſupponente. Cùm igitur in caſu noſtro non verificatur, nec ſupponatur ſubiectum talium contradicto-

dictoriorum in tempore antecedenti, quia certè in tempore antecedenti non eſt, nec eſſe poteſt exiſtentia obiecti, vt coniuncta cum tempore ſubſequẽti; ideo in tempore antecedenti non ſit vera contradictio, ac proindè ſuſpenſa remanet veritas, & falſitas illorum actuum, abuſiuè tantùm contradictoriorum.

136 Dicunt vltimò; ſaltem actus Diuini tendentes in rem futuram ſunt determinatiſſimè veri; ergo, &c. Reſpondemus reſpectu Dei nihil eſſe futurum; quippe qui ſuis actibus ſupergreditur omnia tempora; nec quemadmodum in ordine temporalium creaturarũ, ita & apud Deum verificari poteſt, quod nondum ſunt, quæ futura ſunt; ſed potiùs cum Diuina cognitio

men-

mensuretur Æternitate, cui vtpotè in genere durationis essentialiter infinitæ, ac indiuisibili omnia sunt realiter, ac Physicè præsentia, habet rationem perfectissimi intuitus, cui temporaliter nihil accedit, dum actu res ponitur extrà suas causas. Ideo actus Diuini (qui dicuntur tendere in rem futuram respectu nostræ durationis tantùm) sunt determinatissimè veri propter præsentiam indiuisibilem, & infinitam Diuinæ Æternitatis, ratione cuius realem, & Physicam coexistentiam habent cum suo obiecto. Id, quod propter essentialem limitationem nostrorum actuum, eorumque necessariam alligationem temporib. creatis de nobis dici non potest. Hæc Theologica licèt, & longè plusquam Dialectici ordinis,

dinis, nihilominùs in ſeria diſputatione indigno prorſus ſubterfugio locum non da-bunt.

(··)

A S

ASSERTIONVM DIALECTICARVM
Liber Quintus.
DE SYLLOGISMO.

139 TRipliciter considerari solet, ac debet à Dialecticis Syllogismus. Primò quatenus præcisè est tertia Intellectus operatio diuersa à prima & iuxta hanc considerationem eius essentia consistit in sola conclusione, estque simplicissimus actus formaliter, supponens tantùm, non intrin-

secè

ſecè includens præmiſſas, ſicut Iudicium non includit intrinſecè, ſed ſupponit tãtùm tres Apprehenſiones. Secundo ſumitur amplè,& cauſaliter,prout ſignificat inſtrumentum quoddam determinatiuum intellectus ad cognoſcendum artificiosè; & in hac acceptione eius eſſentia nõ includit concluſionem,ſed conſiſtit in ſolis præmiſſis: Ratio eſt,quia nulla cauſa efficiens intrinſecè includit ſuum effectũ, ſed concluſio eſt effectus Syllogiſmi ſic accepti, ergo Syllogiſmus ſic acceptus non includit intrinſecè concluſionem, ſed conſiſtit in ſolis præmiſſis. Tertio ſumitur Syllogiſmus propriè, completè, & adæquatè, prout ſignificat opus Logicum artificioſum, conſiſtens in quadam progreſſione, & curſu mentis ab vna veritate ad aliam;

liam; & iuxta hanc considerationem verè Logicam intrinsecè includit in sua essentia tum præmissas, tum conclusionem; quia vt sic habet rationem cuiusdam transitus includentis in suo conceptu & terminũ à quo, & terminum ad quem,& definitur. *Oratio,in qua quibusdam positis alterum quid à positis necesse est sequi eo quod hæc sint*. In qua definitione certè exprimũtur & præmissæ, & conclusio.

140 Præmissæ in quocunque Syllogismo concurrunt ad conclusionem, non in genere causæ materialis, formalis, aut finalis sed in genere causæ efficientis; non quidem eliciti uè,qua ratione nullus actus intellectus potest producere alium actum:sed tamquam ratio agendi, & dispositio necessaria se tenens ex parte principij elicitiui nempe

In-

Intellectus, qui licèt de se habeat sufficientem virtutem ad recipiendum in se actum conclusionis, non indigẽs ideo pręmissis quæ se teneant ex parte subiecti: nihilominus ad hoc, vt conclusionem eliciat indiget illuminatione præmissarum, non quidem formali, vt opinatus est Arriaga, sed effectiua per species.

141 Positis præmissis necessitatur Intellectus etiam quoad exercitium ad actum conclusionis: Intellectus enim est potentia formaliter necessaria, de cuius ratione est vt positis omnibus requisitis ad operandum, necessariò etiam quoad exercitium operetur. Neq; expectare debet Imperium, aut nescio quã voluntatis licentiam, quasi hæc sit vnum ex necessariò prærequisitis ad concludendum. Id

enim omnino gratis cõfingitur quia nulla alia potentia necessaria hanc licentiam expectare cogitur à voluntate, vt patet inductione, & præcipuè exemplo oculi, ergo non est cur ipse intellectus eam expectare debeat. Præterea licèt absolutè non sit repugnantia, quod voluntas impediat intellectum ab exercitio actus; nihilominus id naturaliter contingere nequit: cũ enim ipsa imperare nil possit, quod prius sibi ab intellectu repræsentatum non fuerit vt bonum, nihilque prohibere, quod sibi similiter repræsentatum nõ fuerit vt malum, non potest intellectus, dum attẽtissimè assensum præbet ipsis præmissis, repræsentare volũtati bonitatem suspensionis, vel malitiam assensus conclusionis, ad hoc, vt illam imperet, aut ab ista se retrahat;

ideo

ideo &c. Quòd ſi voluntas dicitur Domina potentiarum, earundem Regina, & huiuſmodi: non propterea eſt imaginandũ quod ſubdat ſibi intellectum quoad omnia eius obiecta; ſed ad ſummum quoad ineuidẽtia, & obſcura, quibus fortè non aſſentitur niſi ex volũtatis imperio. Ex quo ſequitur à voluntate impediri poſſe intellectum in actuali aſsenſu præmiſſarum, ſi fuerint falſæ, ineuidentes; &c. at ſi ſemel permittat intellectũ aſſentiri pręmiſſis, non poterit voluntas impedire aſſenſum concluſionis, cuius obiectũ ex ſuppoſitione quod ſit connexum cum obiecto præmiſsarum clariſſimè repræſentatur tota euidentia, ideo &c.

142 Similiter ad concludendum non eſt neceſſaria cognitio de bonitate illationis diſtin-

ċta à præmiſſis; quidquid enim concipitur prętari poſse ab huiuſmodi cognitione ſuperaddita, ſufficientiſſimè habetur ab ipſis præmiſſis, quæ identitatem extremorum cũ medio immediatè attingunt, & continent in ſe totam vim mouendi potentiam intellectiuam. Imò talis cognitio de bonitate illationis eſset formaliſſimè ipſa concluſio; quia iudicaret obiectũ concluſionis eſse idem cum obiecto præmiſsarum, quod eſt formaliſſimè concludere. Experientia de duobus hominibus altero aſsentiente, altero non aſsentiente eidem concluſioni non probat intentum, quia his duobus hominibus non repræſentantur eædem præmiſsæ formaliter, licet materialiter videantur eædem. Quod ſi vterq; cum eadem claritate, & effica-

cita-

citate penetret tales præmiſsas vterque his aſsentietur, & nulla erit experientia in contrarium. Cæterum dicãt Aduerſarij quare ex duobus hominibus habẽtibus in intellectu eaſdem præmiſsas, excitetur in vno cognitio de bonitate illationis, in alio non excitetur, ideo &c.

143 Actus concluſionis non attingit obiecta præmiſsarum, tum quia obiecta præmiſsarum non exprimuntur in concluſione vocali; neque enim particula, *ergo* ſignificat eam reflexionem mentalem ſupra præmiſsas ſed ſolùm ſignificat illationem formalem, & realem dependentiam, quam habet concluſio à præmiſſis; idq; optimè ſaluatur etiamſi concluſio non attingat earum obiecta, quia vnum actũ dependere ab alio non eſt vnũ actum attingere obiectũ eius;

ſed vel produci per ſpeciẽ eius, vel excitari ab illo, vt in Libris de Anima. Tum etiam quia ex Philoſophis cõmuniter *medius terminus non debet ingredi concluſionem*; ingrederetur autem, ſi cõcluſio attingeret obiecta pręmiſſarum, vt patet. Tum denique quia præmiſſæ non ſunt ratio formalis quæ, conſtituẽs obiectum concluſionis formaliter in ratione obiecti: eo modo quo ratio coloris conſtituit albedinem in ratione obiecti viſibilis; ſed ſolum ſunt ratio formalis, ex qua effectiuè dependet concluſio modo ſupra explicato; ideoque eodem actu, quo attingitur obiectum concluſionis non eſt neceſſe attingantur obiecta præmiſſarum.

144 Neque hinc ſequitur niſi concluſio attingat obiecta permiſſarum, explicari non poſſe quo-

quomodo conclusio essentialiter sit conclusio, & diuersæ speciei ab alio actu, qui feratur in idem obiectum materiale e.g. *Omnis Homo est animal, ergo omnis Homo est animal*: Diuersitas enim istorum actuum non benè explicatur per hoc, quòd alter attingat obiecta præmissarum, alter verò non; alioquin cognitiones Diuinæ, & Angelicæ, quæ simul, & semel feruntur in obiecta conclusionis & eorumdem principia, essent formalissimè cõclusiones; sed ideo conclusio est formaliter conclusio, quia est cognitio obiecti nõ per se noti, atque adeo exigit procedere ex medio priùs cognito cum dependentia à duobus actibus repręsentãtibus duo extrema, vt connexa cum aliquo tertio.

144 Secundò nõ sequitur ex-

plicari non posse, quomodo ex tribus actibus existẽtibus simul in eodem intellectu vnus sit potius conclusio, quam alter; non enim ex his tribus ille est formaliter conclusio, qui attingeret obiecta præmissarum; adhuc enim explicandũ remanet quisnam ex ijs tribus attingat obiecta præmissarum; sed ille, qui infertur, vel causatur ex alijs, hoc est, fit dependenter à speciebus relictis ab alijs actibus, qui se habeant, tamquam rationes agendi, & formalia determinatiua mouentia, & impellentia intellectum ad tertium actum. Quod si quærant aduersarij, cur ex ijs tribus actibus intellectum determinet, & impellat potius hic actus, quam alter: Respondemus, id esse, non quia hic potius quã alter attingit obiecta præmisſarum; adhuc enim queri pos-

poſset, cur hic attingat obiecta præmiſsarum potius quam alter, ſed quia eſt naturalis, & Phyſica connexio obiecti huius actus potius, & nõ alterius cum obiecto præmiſsarum. Nõ enim eſt imaginandum, quod in intellectu ſint plures propoſitiones, quarum quælibet ſit indifferens, vt ſit præmiſsa, vel concluſio; ſed quotquot dãtur propoſitiones mentales, habent naturalem ordinem, & dependentiam ad inuicem, quatenus præmiſsæ ſunt de notioribus, concluſio de minus notis, hæc non de notis per ſe, ſed de notis ex vi præmiſsarum; illę verò de per ſe notis, vel aliunde cognitis. Quare non eſt liberum intellectui ludere in ſuis actibus, & pro ſuo arbitratu facere, vt hic ſit concluſio, ille vero pręmiſsa, ſed ex naturali, & Phyſica con-

nexione obiectorum coordinat suos actus, & eorum dependentiam agnoscit, e.g. si in eodem intellectu essent præmissæ de rationalitate Petri v.g., de se illatiuæ risibilitatem eiusdem, & similiter præmissæ de vitalitate eiusdẽ de se illatiuæ vim intrinsecam operandi, non posset vis intrinseca operandi inferri ex præmissis de rationalitate, neq; risibilitas ex præmissis de vitalitate. Cuius rei non alia est ratio, nisi quia rationalitas ex se à parte rei connexionem habet cum risibilitate, non cum vi intrinseca operandi, & è contra, ideò, &c.

146 Communissima Diuisio Syllogismorum est in Demonstratiuum, Topicum, & Sophisticum, quorum postremus si peccet ex parte formæ non est verè Syllogismus, sed dicitur

Syl.

Syllogiſmus apparens ; ſicuē ſtamnum non eſt argentum;ſed argentum apparēs. Syllogiſmus Topicus intrinſecè conſtituitur ex propoſitionibus probabilibus, ſeu *quæ non habent euidentiā, nec certitudinem obiecti;ſed tantùm veri ſimilitudinem quamdam rationabili motiuo innixam*, ideòq; non neceſſitant intellectum ad aſſenſum probabilem ſui, licèt ex ſuppoſitione, quod intellectus aſſentitus fuerit, pręmiſſis ętiam opinatiuis, neceſſitetur omnino ad aſſentiendum concluſioni etiam probabili, vt ſupra. Syllogiſmus denique Demonſtratiuus omnium perfectiſſimus, quippe qui *facit ſcire ſimpliciter*, conſtare debet præmiſſis veris, non tamen verioribus concluſione, primis item, immediatis, prioribus, notioribus, &c. vt fusè apud Ariſtote-

lem. In Demonstratione vitiosus est circulus formalis, & vniformis, qui dici etiam solet *Petitio principij*, quando nimirùm fit regressus ad idē eodē modo cognitum, quo antea, non tamē vitiosus est circulus materialis, & difformis, qui dici etiam solet *Regressus Demonstratiuus*, quando intellectus reuertitur ad idē diuerso modo cognitum ac antea. De forma, & figura Syllogistica his omnibus communi nihil speciale dicendum occurrit; nisi quòd tribus Aristotelicis nullo modo adijcienda est quarta figura Galeni laboratura semper morbo insanabili.

§.·§

ASSERTIONVM DIALECTICARVM

Liber Sextus.

DE SCIENTIA, ET OPINIONE.

145 DEmõſtrationis effectus eſt ſcientia, Syllogiſmi probabilis opinio, Sophiſtici error, ſeu falſitas. Scientia verè datur in nobis, vt patet tum ex multis principijs per ſe notis, *Omne totum eſt maius ſua parte, Quodlibet eſt, vel nõ eſt: Nihil poteſt*

 ſimul

ſimul eſse, & non eſse: tum etiam ex naturali appetitu ſciendi, quem Deus, & natura nihil facientes fruſtra indiderunt hominibus. Tum ex Apoſtolo ad Rom. 5. docẽte *Ex creaturis euidenter cognoſci Creatorem*. Tum denique quia, qui negant dari ſcientiam, iam putant ſe habere ſcientiam de hoc, quod eſt ſciẽtiam non dari, idq; ſe euidentiſſimè cognoſcere dicunt, & abſq; vlla dubitatione confirmant. Non conſiſtit autem in pura reminiſcentia, vt volebat Plato: ſed, ſi de habituali ſit ſermo, *Eſt habitus mentis per frequentationem ſimilium actuum genitus in anima inclinans potentiam intellectiuam ad cognitiones certas, & euidentes*: ſi verò ſermo ſit de actuali, *Eſt cognitio certa, & euidens rei neceſsariæ per propriam cauſam*.

148 Scientia Habitualis eſt qua-

qualitas realiter distincta à speciebus intelligibilibus. Tũ quia species requiruntur ex parte obiecti, vel propter improportionem, vel propter distantiam eius: habitus autem requiritur ex parte potentiæ, ad quam iuuandam, & perficiẽdam suapte natura ordinatus est. Tum quia species est simpliciter necessaria ad actum, habitus solùm secundùm quid. Tum quia positis speciebus, adhuc intellectus est indifferens ad benè, vel malè iudicãdum de obiecto, cùm multi benè apprehendant, qui tamen malè iudicando errant. Tum deniq; quia Bruta habent species, nõ habitus: illæ nullum habent contrarium, his contrariãtur habitus erroris; ideo, &c. Quod si petatur ratio in contrarium à Christo Domino, qui per solas species processu temporis

ac-

acquisitas dicebatur sciens: Respondemus hinc potius retorqueri argumentum : cum enim Christus Dominus in instāti suę conceptionis habuerit omnes scientias infusas, vtiq; hæ distinguebātur à speciebus, quas processu temporis acquirebat. Cæterùm non improbabiliter defendunt Theologi, Christum Dominū processu temporis non modo acquisiuisse species; sed etiam habitum scientiæ experimentalis, iuxtà illud Luc.2. *Iesus autem proficiebat ætate, & Sapientia coram Deo, & Hominibus.*

149 Scientia totalis non est vnus simplex habitus, sed conflatur ex partialibus habitibus iuxtà diuersitatem actuum specie distinctorum: isti autem partiales habitus nullā habēt vnionem Physicam inter se; sed moralem tantùm partim inuen-

tam

tam arbitrio Philoſophorũ,partim ex quodam naturali ordine ipſorum actuum,& habituum, ratione cuius ex his potius, quã ex alijs vna totalis ſcientia conflatur. Et ratio eſt,quia ex vna parte habitus partiales diuerſiſſimi ſpecie nullam vnionem Phyſicã inter ſe habent; ex alia verò plurima ſunt, quæ moraliter vnita faciunt quid vnum: vt eſt multitudo Hominum in vno exercitu, Domorum in vna Ciuitate,Ciuitatum in vno Regno, & ſimilia: ſicut autem hæ Ciuitates,& nõ aliæ conſtituunt hoc Regnum ex vi vnionis moralis: ita hi habitus, & non alij moraliter vniti conſtituere poſſunt hanc ſcientiam totalem. Similiter ex vna parte ſolent aliqui habitus ab vno Auctore admiſceri vni ſcientiæ,& ab alio alteri,e.g. Phyſici, & Aſtronomi de

motu

motu, & natura Cœlorum pro libito agunt: Logici, & Physici de actibus nostri intellectus; & recentiores (licèt immeritò redarguantur) Theologicas quæstiones spargunt in tota Philosophia; ex alia verò sunt plurimæ cognitiones, quæ ex propria natura ducunt ad alias notitias, e.g. cognitio totius iuuatur cognitione partium, cognitio proprietatum deseruit ad cognitionem essentiæ, cognitio vnius contrarij ad cognitionem alterius, &c. ergò hæc vnio Moralis partialium habituum partim à Philosophorũ beneplacito, partim à natura ipsa coordinante plures notitias habita fuit.

150 Inter scientias totales sunt quæ versantur circa materiam Vniuersalem: & quæ versantur circa materiam particularem, e.g. Geometria versatur

circa

circa *lineam*, Perspectiua circa *lineam visualem*, Arithmetica circa *numerum* Musica circa *numerum sonorum*. Scientia Vniuersalis dicitur subalternans, Particularis verò subalternata; subalternari enim nihil est aliud, quā vnum collocari sub altero, vt dicitur de Propositionibus; & per consequens subalternatio sciētiarum erit *connexio, & dependentia vnius scientiæ ab alia*. Non omnis autem connexio sufficit ad hanc subalternationem; sed ea tantùm, quæ has conditiones admittit. Prima conditio est, vt scientia subalternata sua principia accipiat à subalternante secunda conditio est, vt subalternata obiecto subalternantis differentiam aliquam accidentalem superaddat.

151 Opinio, quæ est effectus Syllogismi probabilis, *est assensus ali-*

alicuius Propositionis vel ex terminis, vel ob medium probabile nõ satis firmus cum formidine partis oppositæ. Hæc autem formido duplex est. Alia dicitur formalis, & actualis, quæ *est ipse actualis timor, & suspicio, quod res aliter se habere possit*. Alia virtualis, & radicalis, quæ non consistit in aliquo actuali timore, aut dubitatione; sed in eo quod *assensus elicitus ex parte obiecti, vel medij non omnino solidi, & firmi ita se habeat, vt ei non repugnet subesse falsũ*. Prima nõ requiritur ad actũ opinionis. Secũda sufficit: sunt enim plurimæ opiniones in Philosophia v. g. efficacibus argumentis cõfirmatæ, quas defendimus absque vllo timore, & formidine actuali, & alij eadem constantia sine vlla hæsitatione defendunt opinionem oppositam. Id quod Aristoteles

etiam innuit. 7. Ethic. c. 3. vbi ait *Nonnulli ex his, quæ opinantur, non ambigunt; sed certo se scire existimant*, & paulo infra *Qui nihilo minorem ijs, quæ opinantur, quam alijs, quæ sciunt, fidem adhibent.* Quibus verbis docet Philosophus posse stare actum opinionis sine actuali formidine; ideo &c.

152 Quærunt postremo hoc loco Dialectici, an in eodem intellectu simul esse possint scientia, & opinio. Et quidem quoad habitus vix dubium esse potest; nullam enim habent cōtrarietatem ad inuicem, sed ad sūmū sūt habitus disparati. Præterquam quod si non repugnāt in eodem subiecto habitus virtutis, & vitij: vt patet in Homine emendante vitia præterita per habitus virtutum, & nihilominus experiente propēsionem ad sce-

ſcelus antiquum,non eſt cur habitus ſcientiæ,& opinionis, quæ minorem oppoſitionem habẽt in eodem intellectu eſse non poſſint: ſimiliter vix dubium eſt inter recẽtiores,an quoad actus poſſint eſse ſimul ſcientia, & opinio; id enim ferè omnes affirmant poſitis diuerſis medijs, & ſecluſa actuali formidine: quia actus opinionis, & ſcientiæ non opponuntur contradictoriè; vterque enim vel affirmat, vel negat idem, neque contrariè, quia ſcientiæ non contrariatur opinio, ſed neſcientia, & error; neque priuatiuè,quia opinio nõ dicit priuationem ſcientiæ, & vterque eſt actus poſitiuus; ſed opponuntur ſolummodò diſparatè,eo modo quo opponuntur calor, & albedo, ſimplex apprehenſio, & Iudicium. Hæc autem oppoſitio non impedit coe-

coexistentiam: vt patet.

153 Maior difficultas est de opinione includente actualem formidinem, an scilicet esse possit simul cum scientia in eodem intellectu: existimamus nullam esse in hoc repugnantiam; quia opinio cum formidine radicali stat simul cum scientia; ergo etiam cum formidine actuali. Consequentia probatur, quia formido actualis id tantum superaddit opinioni radicaliter formidolosę, vt faciat illam actu attingere motiuum formidandi sed sciens potest simul, & semel attingere duo motiua scientificum, & formidolosũ; ergo &c. Dicunt quando intellectus per actum euidẽtem cognoscit existentiam obiecti non potest per alium actum dubitare de eadẽ existentia; iudicaret enim simul idem obiectũ posse esse, & posse

ſe non eſſe; quod implicat; ergo.&c. Reſpondemus actualem formidinem opinionis non eſſe Iudiciũ diſtinctum ab ipſo actu opinionis; opinio enim, & eius formido realiter ſunt vnum & idem. Quare ſi Petrus ex. g. ex litteris amici intelligat Regem armari: Ad hoc vt cum actuali formidine id credat, non eſt necesse, quod iudicet Regem armari, & non armari, ſed ſufficit ſi habeat vnicum Iudicium per ſe tale, vt directè affirmet Regẽ armari; indirectè vero iudicet nondum plane ſibi conſtare, an armetur. Hoc autem quod eſt indirectè iudicare nondum ſibi conſtare an Rex armetur non eſt nouum Iudicium contradicens aſſenſui opinatiuo; ſed eſt ipſa opinio per ſe, & esſentialiter minus firma, quam eſset alia opinio, quæ tantum directè iudica-

dicaret obiectum esse, non aduertendo in suo motiuo formali existentiam obiecti sibi non constare. In forma igitur negamus sequelam & facilè retorquemus argumentum contra Aduersarios, qui saltem concedere debent in intellectu opinionem cum actuali formidine quando non adest sciẽtia, & tamen in hoc casu non sequitur ea contradictio, vt de se patet.

154 In confirmationem horum omnium asserimus vltimò vnum, & eundem actum indiuisibilem posse simul esse scientiam, & opinionem positis diuersis motiuis. Ratio est quia vnus, & idem indiuisibilis actus potest sequi ex motiuo euidenti, & probabili; ergo erit simul scientia, & opinio. Consequentia patet, quia actus, q procedit ex motiuo euidenti est scientia,

qui vero ex motiuo probabili est opinio; sed in nostro casu vnus, & idem actus procederet ex motiuo euidēti, & probabili; ergo vnus, & idem actus esset scientia, & opinio. Antecedens verò probatur quia: si quis assẽtiretur huic propositioni, *Luna est minor Sole* simul & semel quia Luna in Ecclypsi non potest tegere totum solem, & quia est vicinior terræ, eliceret vnicũ actum formaliter scientificum, & opinatiuum; non enim est maior ratio cur hæc duo motiua diuisim proposita sint causa duorum actuum, & non possint esse causa vnius, & eiusdem indiuisibilis actus, si simul, & semel proposita memoria retineantur: cum præsertim nulla in hoc appareat vel leuis repugnantia, cui tamen, si inter disputandum occurrerit, sicut &

argu-

argumentis omnibus, quæ fient contra has Dialecticas Aſſertiones publicè reſpondebimus.

F I N I S.